CATECHESIS
THEOLOGICO-MORALIS
Examini Ordinandorum
ACCOMMODATA
Reſponſis congruis ad quæſita, ſecundùm ſenſum doctrinæ Authorum probatorum,
LUCULENTER
EVULGATA.
Per
RP. BONAVENTURAM MERESS
Ordinis S. PAULI primi Eremitæ Theologum, Aſceſis, & Novitiorum Magiſtrum Częſtochoviæ ad S. BARBARAM V. & M. 1795.
CONGESTA.

TYPIS CLARI-MONTIS CZĘSTOCHOVIEN:

Cùm Scripturæ teſtimonio, Apoſtolica traditione, & Patrum unanimi conſenſu perſpicuum ſit per Sacram Ordinationem, quæ verbis, & ſignis oxterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem eſſe verè, & propriè unum ex ſeptem Sanctæ Eccleſiæ Sacramentis.

Conc: Trid: Seſſ: 23. c: 3.

FACULTAS
ORDINIS.

UT opus, cui Titulus *Catechesis Theologico-Moralis &c.* R. P. Bonaventuræ MERESS Ordinis Nostri Theologi, *Ascensis*, & Novitiorum Magistri, à duobus Ordinis Nostri Theologis revisum & approbatum, lucem publicam videat, facultatem damus, si iis ad quos de Jure pertinet, ita videbitur, ùt Prælo mandetur. In quorum fidem præsentes manu propriâ subscribimus.

Datum in Monasterio Nostro Clari Montis Częstochoviensis. Die 17. Julii. 1795. Annô.

Fr. Martinus Jasińſki
Ords S. PAULI primi Eremitæ, Prior Provincialis, ac Locum tenens Officii Generalis.
mpp.

CENSURA
Theologorum ORDINIS.

EX Mandato Reverendiſſimi Patris MARTINI JASINSKI S. T. D Ordinis Monachorum Sancti PAULI primi Eremitæ Locum tenentis Vicarii Generalis, Prioris Provincialis, legi Opus ſub titulo *Catecheſis Theologico-Moralis examini Ordinandorum accommodata. &c.* Authore R. Patre Bonaventura MERESS, Ejuſdem Ordinis Theologo, Aſceſis & Novitiorum Magiſtro.

Et quia nihil in eo Chriſtianis moribus diſſonum, aut Orthodoxæ Romanæ fidei contrarium inveni, quinimo omnia profectui Ordinandorum utiliſſima, captuq; facillima perſpexi Ideò hocce opus lucem in publicam edi poſſe judico, ſi ijs, ad quos ſpectat, videbitur. Datum in Monaſterio Novitiatûs ad S. Barbaram V. & Martyrẽ, Die 17. Julii. Anno Domini 1795.

Pater Damianus Smonieweſki
S. T. D. Definitor Proviæ
Prior Monaſterii
Novitiatûs mpp.

EX commiſſione Reverendiſſimi Patris MARTINI JASINSKI Ordinis S. PAULI I. Eremitæ S. T. D. Locum tenentis Prioris Generalis, ac ſimul Provincialis Poloniæ, perlegi Opus ſub Titulo *Catecheſis Theologico Moralis examini Ordinandorũ accomodata &c.* Per R. P. Bonaventuram MERESS, Ordinis Noſtri Theologum, Aſceſis & Novitiorum Magiſtrum Częſtochoviæ ad S. Barbaram V. & M. Congeſtum. In quo cum nihil contrarium Fidei Catholicæ & bonis Operibus adverti; quinimo ad acquirendam Scientiam in ordinandis requiſitam eſſe perutile cenſeo, proinde Typis mandari poſſe judico, ſi videbitur illis, ad quos de Jure ſpectat. Datum in Monaſterio Clari-Montis Częſtochovienſis Die 17. Julii. A. D. 1795.

Fr. Raphaël Pſarſki Ejuſdem Ordinis S. T. D. ac Pœnitentiarius Apoſtolicus mpp.

APPROBATIO
Diæcesana.

OPus ſub Titulo *Catecheſis Theologico-Moralis Examini Ordinandorum accommodata &c.* per Eximium ac Reverendum Patrem Bonaventuram MERESS Theologum, ac in Conventus S. Barbaræ O. S. PAULI primi Eremitæ Częſtochoviæ Noviciorum Magiſtrum congeſtum attentè legi, in quo nihil Orthodoxæ Fidei contrarium ac Doctrinæ Eccleſiaſticæ diſſonum reprehendi, Quocirca luce publica hocce opus eſſe dignum cenſeo. Datum in Weſoła ad Cracoviam, Die 14. Auguſti. Anno Domini 1795.

M. CAROLUS MARXEN U. J. Doctor, Librorum per Diæc: Crac: Cenſor mpp,

IMPRIMATUR

Datum Cracoviæ Die 5. Sept: A. 1795.

Auguſtinus LIPINSKI Canonicus Cathedr: Auditor & Judex Generalis Cracovienſis mpp.

AD
CANDIDOS
Ordinandos.

GErmen pium, examen novellum ſorti Divinæ annumerandum, flos honoris Matris Eccleſiæ Militantis, quibus vocibus, quibusvè animis, & propenſionibus cordis, veſtrum laudabilem præconceptum, vobis ſim aggratulaturus, non invenio, dicens a a. a. ecce ego, qui hic plane neſcio loqui. Candidi Ordinandi.

Et

Et merito: quis enim excellentiam illam, qua pollet vel minimus, minimum tamen haud dixerim, gradus Ordinis Sacramenti, à Christo Domino instituti, non jam dico verbis, verum vel ipsa mente assequetur? quis felicitatem vestram, qua flante Spiritus Sancti gratia, Collegio, Nazaræorum adunari gestitis Sacerdotis Cœlestis, ritè, si non edicet, saltem describet? Alta peteret & viribus non apta, qui hoc attentaret, ibiq; sisteret, ubi incipere vellet.

Veteris Testamenti monumentorum Paginæ Sacræ hoc nobis innuunt non obscurè de lege naturæ, tribuisse ibi Suppremum Numen primogenituræ Sacerdotium taliter, ut quemadmodum in hominum haud foret potestate, ut primi nascerentur; ita nec ad hunc statum per se ipsos valebant pervenire; verùm eâdem providentiâ, quâ primogeniti nascebantur, eos ad Sacerdotium destinabat, atque gratias præparabat ad illud suscipiendum.

Non

Non loquor de lege scripta, in qua DEUS Tribum Levi sibi delegerat, ut ex illa sola essent Ministri Altaris; quemadmodum, ut sola Aaronis familia Sacerdotium exerceret: potiori jure opus est dicere in Lege nova Characterem Ordinatorum subliniorem, cujus Ministerium & Sanctius est, & completivum figurarum.

Menti hæc altè sunt imprimenda, & quo altius eo dignioribus moribus, & scientia competens comparata associanda. Sicut enim, *secundum Concilii Aquisgranensis canonem* 6. iniqui Ministerium Sacerdotale assequi prohibentur; ita indocti, & imperiti à tali Officio retrahuntur.

Quapropter adminiculum ferens Catechesim præsentem Theologico-Morali materia evulgatam vestris obtutibus præsento faventissimis.

Est illa quatuor Apparatibus instructa, quo-

cta, quorum quilibet illam suggerit doctrinam, quæ apta sit examini subeundo cuilibet Ordini præmittendo.

Non parcite igitur vestræ innatæ diligentiæ, & optatum fructum in illa haurientes, profectum soli DEO, cujus est totum, quod est optimum, adscribatis. Valete.

INDEX

INDEX
MATERIARUM
in hoc Opere contentarum.

APPARATUS Imus.
Refert materiam Examinis pro prima Tonsura, & quatuor Minoribus Ordinibus.

APPARATUS IIdus.
Refert Materiam Examinis pro Sacro Ordine Subdiaconatûs.

Horis

APPARATUS IIItius.

Refert Materiam Examinis pro Sacro Ordine Diaconatûs.

Ex de-

APPARATUS IVtus.

Refert Materiam Examinis pro Sacro Ordine Presbyteratûs.

Impe-

APPENDIX MISCELLANEORUM.

APPARATUS I.

De Iis,

quæ ſunt ſcitu neceſſaria

Prima Tonſura inſigniendis & quibus Quatuor Minores Ordines conferendi.

SECTIO I.

DE PRIMA TONSURA.

QUeſtio: *Quid deſiderat ſibi præſtari?*

Reſponſio: Experiri per examen num- habilis inveniar, cui Prima Tonſura, & Quatuor Minores Ordines conferantur.

Q. *Quid eſt Prima Tonſura?*

R. Eſt quædam præparatio ad Ordines vel ut in Religionibus Novitiatus

ad Professionem. vel: Est Ritus in Clerum adscriptionis.

Q. *Quæ sunt Officia, & quæ Obligatio habentium primam Tonsuram?*

R. Officia sunt: canere Psalmos in Ecclesia, & Missæ Sacrificiis (diebûs Festîvîs insuperpellicio) inservire; obligatio autem capillos præcisos, & coronam, ac vestem talarem portare, & alicui certæ Ecclesiæ ex dispositione Episcopi ab obsequiis esse, vel in Seminario Studiis operam navare intentionem præconceptam arrepti Status Spiritualîs frivolè non mutare, Spectacula obscæna, & cætus scenicos fugere, vitamque ducere ex omni parte exemplarem.

Q. *Quæ requiruntur in illo, qui vult Primâ Tonsurâ insigniri?*

R. 1. Ut sit mas. 2. ut sit Baptisatus, & Confirmatus, 3. ut nulla censura Ecclesiastica sit irretitus, neque bigamus, aut Neophyta, & ut decimum quartum annum, juxta Concilium Coloniense attigerit; Septenium tamen defacto communiter judicatur esse sufficiens.

ficiens. Sed de hoc plura infra, ubi de requiſitis pro Ordinibus agetur.

Q. *Poteſtne Prima Tonſura iterari?*

R. Non poteſt, Vel quia hoc eſſet contra praxim Eccleſiæ, vel propter Signaculum quoddam, & characterem, cujus meminit Theodorus Balſamon Patriarcha Antiochenus in Canones Apoſtolicos ſcribens Can. 62. apud Genetto.

Q. *Unde Prima Tonſura Originem ſuam habet in Eccleſia DEI.*

R. A Nazaræis ut opinatur S. Iſidorus qui capillos devotione completa radebant, & in igne Sacrificii ponere jubebantur, ut perfectionem devotionis ſuæ Domino conſecrarent, quod deinde imitantes Priſcilla, & Aquila in Actibus Apoſtolorum fecerunt, & Paulus Apoſtolus, ac quidam Diſcipuli Chriſti mirandi in hoc cultu extiterunt.

Q. *Quæ ſunt privilegia habentium Primam Tonſuram?*

R. Privilegium Fori, & Canonis. Per primum eximuntur à poteſtate laicali, Eccleſiaſticæ tantum ſubjacentes;

per ſecundum autem illam prærogativam aquirunt, quod, qui illos percuteret injurioſè ſcienter, incideret in pœnam excommunicationis Papæ reſervatam, adeoque grave peccatum committeret; ſuntque capaces Beneficii Eccleſiaſtici.

Q. *Prima Tonſura eſtne Ordo aliquis in Eccleſia DEI.*

R. Doctor Angelicus Sanctus Thomas, & Divus Bonaventura doctrinam Magiſtri Sententiarum, qui fuit Petrus Lombardus ſecuti, dicunt illam non eſſe Ordinem, ſed tantum ſanctam cæremoniam in Eccleſia Apoſtolica traditione ſtabilitam.

Q. *Habetne prima Tonſura Materiam & Formam?*

R. Cum non ſit Ordo, non habet; ſed tantum quaſi materiam, capillos videlicet Tonſurandi; & quaſi Formam, verba ſcilicet, quæ profert Epiſcopus Tonſuram conferendo à Tonſuram recipiente dicenda quoque: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* Et hac ratione

tione

tione poteſt etiam nudũ caput habenti, ſeu calvo conferri.

Q. *Poſſuntne Tonſurati vocari Clerici, & quare vocantur?*

R. Poſſunt, & reipſâ vocantur, vel quia ſunt de ſorte Domini, vel quia Dominus ſors, ſeu pars illorum eſt. *can. Clericus* 12. *qu.* 1.

Q. *Quæ præter ea requiruntur adhuc in Tonſurando?*

R. Ut latinam lingvam intelligat, ſcribere, & legere, ac præcipuos Articulos Fidei ſciat.

SECTIO II.

DE RUDIMENTIS FIDEI.

Q. *Quid ſunt Rudimenta Fidei?*

R. Sunt quidam Articuli illius maxime ſcitu neceſſarii iis, qui jam annum diſcretionis attigerunt ſeptenniô finitô.

Q. *Quid eſt Articulus Fidei.*

R. Eſt Veritas infallibilis à DEO ſummæ authoritatis revelata, & ad credendum per Eccleſiam propoſita.

Q. *Quotuplices ſunt Articuli Fidei?*

R. Du-

R. Duplices: uni ſine quibus etiam inculpabiliter, & invincibiliter ignoratis, ſalvari quis non poſſet, alii ſine quibus culpabiliter ignoratis, & vincibiliter non ſcitis, æternam ſalutē nemo adipiſci poteſt. Primi ſunt credere Fide ſupernaturali determinatè, & explicite ſcirequè 1. DEUM eſſe Authorem gratiæ. 2. Remuneratorem gloriæ. 3. Trinitatem Perſonarum 4. Incarnationem Filii DEI. Unde qui præfata Myſteria Incarnationis, & Trinitatis ignorant etiam ſi invincibiliter, ſunt abſolutionis incapaces, ita *Biluart.* Secundi ſunt: credere, & ſcire, explicitè ſaltem quoad ſubſtantiam, & præcipuas circumſtantias. 1. Omnes Articulos contentos in Symbolo Apoſtolorum. 2. Omnia præcepta Decalogi, & Eccleſiæ. 3. Orationem Dominicā. 4. Sacramenta neceſſario ſuſcipienda, quæ ſunt tria, Baptiſmus, Euchariſtia, & Pænitentia. *Idem.*

SECTIO

SECTIO III.

DE SYMBOLO.

Q. *Quid est Symbolum?*

R. Est Compendium Articulorũ Fidei Catholicæ, qui omnibus credendi proponuntur.

Q. *Quid est Incarnatio?*

R. Est Assumptio naturæ humanæ id est corporis, & animæ rationalis à Verbo Divino in unam Verbi personã.

Q. *Quot sunt intellectus, & Voluntates in Christo?*

R. Quemadmodũ in Christo duæ sunt naturæ, Divina videlicèt, & humana; ita etiam duo sunt intellectus, creatus & increatus; & duæ voluntates creata, & increata.

Q. *In quo consistebat mors Christi?*

R. In separatione animæ à corpore, quia Divinitas mansit penes utrumque.

Q. *Ad quos inferos descendit Christus?*

R. Ad Limbum Patrum, in quo detinebantur ingemiscentes: *Rorate Cæli de super, & nubes pluant iustum &c.* ut illos

inde

inde educeret palam triumphans in ſemetipſo; ex inferno enim nullam eſſe redemptionem, Fides nos docet.

Q. *Chriſtus eſtne ubique?*

R. Chriſtus Conſideratus ut DEUS, eſt ubique, conſideratus verò ut homo, tantum eſt in Cælo, & in Euchariſtia, ſub ſpeciebus conſecratis, quod fit ſupernaturali modo.

SECTIO IV.

DE ECCLESIA.

Q. *Quid eſt Eccleſia?*

R. Eſt Societas fidelium baptiſatorum, ejuſdem fidei profeſſione, eorundem Sacramentorum participatione, eodem cultu inter ſe adunatorum, ſub uno capite Chriſto in Cælis, & ſub ejus Vicario in terris ſummo Pontifice. Ita *Biluart.*

Q. *Eſtne viſibilis Eccleſia?*

R. Sine omni dubio; quia habet caput viſibile Romanum Pontificem, & membra æque viſibilia, puta Fideles.

Q. *Quotuplex eſt Eccleſia?*

R. Triplex: Militans in terris, Triumphans

umphans in Cælis, & Purgans in Purgatorio.

Q. *Quis constituit Caput Ecclesiæ?*

R. Ipse Christus Dominus trina vice dicens Petro: *pasce agnos meos, pasce oves meas.* Joannis 21.

Q. *Quot sunt notæ Ecclesiæ:*

R. Quatuor, videlicet quod sit una, Sancta, Catholica, & Apostolica. Dicitur *Una*, quia unam tradit, & profitetur Doctrinam: dicitur *Sancta*, quia habet sanctitatem Doctrinæ, Sacramentorum, Consiliorum, & legum, quibus sanctificamur: dicitur *Catholica*, sed *Universalis*, quia se extendit ad omnes mundi partes sub obedientia Romani Pontificis: dicitur *Apostolica*, quia ab Apostolis in summo angulari lapide Christo JESU est fundata, & retinet legitimam successionem Episcoporum sub uno Capite Visibili Romano Pontifice. Dicitur etiam *Romana* Ecclesia, quia Roma est Mater omnium Ecclesiarum.

Q. *Potestne Ecclesia errare?*

R. In rebus Fidei, & morum cre-

dendis

dendis nullô modô poteſt errare, quia ſecundùm S. PAULUM 1. Tim. 3. 15. *Eſt columna, & firmamentum veritatis.*

Q. *Quid eſt Communio Sanctorum?*

R. Eſt Communicatio Spiritualis inter fideles in ſuffragiis, Orationibus, uſu SACRAMENTORUM, Verbo DEI &c. quæ fit; quando fideles ad invicem orationibus juvantur: quando viatores recurrimus ad Sanctos, & Sancti intercedunt pro nobis: quando oramus pro animabus purgatorii ut à pænis peccato debitis quanto citius ſolvantur, & in æterna requie collocentur.

SECTIO V.

DE SACRA SCRIPTURA.

Q. *Quid eſt Sacra Scriptura?*

R. Eſt Verbum DEI à Viris Sanctis dictante Spiritu Sancto conſcriptum, & dividitur in Antiqvum & Novum Teſtamentum.

Q. *Quotuplex eſt ſenſus Sacræ Scripturæ?*

R. Duplex in genere: Literalis, ſeu Hiſtoricus; & Myſticus, ſeu Spiritualis.

Sen-

Senſus Spiritualis, ſeu Myſticus eſt triplex: videlicet Allegoricus moralis, ſeu Tropologicus, & Anagogicus. Quia vel res ſignificatæ per verba ſignificant aliquid aliud pertinens ad Eccleſiam militantem, & eſt ſenſus Allegoricus reſpondens fidei: vel ſignificant aliquid pertinens ad mores, & eſt ſenſus Moralis reſpondens Charitati: vel ſignificant aliquid pertinens ad Eccleſiam Triumphantem, ſeu æternam Beatitudinem, & eſt Senſus Anagogicus reſpondens ſpei. Ita *Biluart.* Hi tres ſenſus cum literali exprimuntur hîs tritîs verſibûs.

Litera geſta docet quid credas Allegoria,
Moralis quid agas: quo tendas Anagogia.

SECTIO VI.

DE TRADITIONIBUS.

Q. *Quid eſt Traditio?*

R. Eſt Doctrina ad Fidem, & mores Chriſtianos pertinens viva voce à ſuo Authore communicata. Traditio ex parte originis dividitur in Divinam, Apoſtolicam, & Eccleſiaſticam. Rati-

one

one materiæ dividitur in Dogmaticam, & moralem, ſeu ritualem. Prima verſatur circa Dogmata, ùt Patrem eſſe ingenitum; eſſe quatuor Evangelia, ſeptem SACRAMENTA; Beatam MARIAM Virginem fuiſſe ante, & poſt partum Virginem &c. Secunda ſpectat mores, ut obſervandum eſſe quadrageſimale Jejunium, celebrandum Feſtum Paſchæ &c. Ratione temporis dividitur in temporalem, quæ ad tempus tantum fuit inſtituta, ut abſtinentia à Sangvine, & ſuffocato, trina immerſio in Baptiſmo: Et in perpetuam, quæ inſtituta eſt ut perpetuo duratura; ut Baptiſmus parvulorum, validitas Baptiſmi ab Hæreticis collati. Ita *Biluart.*

Q. *Poteſtne Eccleſia mutare Traditiones?*

R. Divinas, quæ ſunt à Chriſto Domino & Apoſtolicas Traditiones, quæ ſunt de Fide non poteſt mutare, niſi ortô aliquô dubiô interpretari. Suas tamen ordinationes, & Concilia pro diverſitate temporis poteſt in aliquo puncto mutare in melius Eccleſiæ & majus robur Fidei id judicando, quia

hoc

faciendo non excedit limites ſuæ poteſtatis, & habet aſſiſtentiam Spiritus Sancti ad hæc facienda.

SECTIO VII.
DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Q. *Quot ſunt Virtutes Theologicæ?*

R. Tres: Fides, Spes, & Charitas, ideo Thelogicæ dictæ, quia immediatè tendunt in ipſum DEUM tanquam objectum ſuum primarium, principale, ac terminativum. *Fides* enim movet intellectum, utpote virtus Theologica ad credendum rebus à DEO revelatis propter ipſius authoritatem, ſeu quia DEUS verax eſt. *Spes* eſt virtus Theologica movens ad ſperandam, ſeu expectandam Beatitudinem æternam auxiliante gratiâ divinâ: Ac tandem *Charitas* eſt virtus Theologica movens nos ad amandum DEUM ſuper omnia propter illius ſummam & infinitam bonitatem, & proximum propter DEUM. *Nunc autem manet Fides, Spes, Charitas tria hæc* (inquit Apoſtolus 1. Corinth 13.) ſed in Beatis in Patria cæleſti non remanet

manet

manet tantùm Charitas ſecundùm communem Doctorum ſenſum.

Q. *Quali modo harum Virtutum actus ſunt eliciendi?*

R. Hoc modo. *Actus Fidei*: Credo, quod DEUS ſit unus, & trinus, quia DEUS ita revelavit Eccleſiæ, & Eccleſia mihi proponit credendum. *Actus Spei:* Spero propter gratiam DEI, ex meritis Chriſti obtenturum me beatitudinem æternam. *Actus Charitatis*: Diligo toto corde DEUM, quia ſummè bonus, & amabilis eſt.

Q. *Obligantne iſtæ Virtutes in aliquo caſu ſub peccato mortali?*

R. Obligant multoties in vita, & primo ex S. Thoma cum quis pervenit ad uſum rationis moralē. Secundò pluſquàm ſemel intra quinquenniū. Tertiò in Articulo mortis. Quartò urgente gravi tentatione, quæ ſine exercitio harum virtutum vinci non poteſt.

SECTIO VIII.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

Q. *Quid, & quot sunt virtutes Cardinales?*

R. Sunt, in quibus aliæ virtutes velut fores in suis cardinibus subsistunt, suntque quatuor. Prudentia, Fortitudo, Temperantia, & Justitia.

Q. *Quæ sunt Officia harum Virtutum?*

R. *Prudentia* secundum honesti rationem proponit homini quid agendū sit, aut fugiendum. *Fortitudo* inclinat ad labores perferendos, & justa pericula aggredienda. *Temperantia* refrenat inordinatos appetitus, & concupiscentias corporis præsertim circa gustum, & tactum. *Justitia* deniquè est constans, & perpetua voluntas jus suum unicuiq; tribuens.

Q. *Quotuplex est Justitia?*

R. Quadruplex: Commutativa, Distributiva, Legalis, & Pænalis, seu Vindicativa. *Cammutativa* versatur in commutationibus rerum pactis, & Contractibus. *Distributiva* commoda, & onera distribuit inter partes Communi-

tatis. *Legalis* affert obligationem Legis observandæ. & *Pœnalis* tandem, seu vindicativa decernit pænam cum proportione ad delictum.

Q. *Quid est Virtus genericè sumpta?*

R. Est habitus perficiens substantiam intellectualem, & ad bonam operationem inclinans.

Q. *Præter Theologicas, & Cardinales, quotuplices sunt adhuc Virtutes?*

R. Duplices: Intellectuales, & Morales. Primæ quinque intellectum perficiunt, & in illo resident, suntque: Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, & Intellectus. Posteriores autem pertinent ad mores rectè ordinandos, & sunt numero viginti. Quarum priores decem: Justitia scilicet, Religio, Pietas Observantia, Veritas, Gratitudo, Justitia vindicativa, Liberalitas, Magnificentia, Amicitia, serviunt ad bene conversandū, & agendum cum aliis. v. g. Justitia servit, ut reddamus unicuique quod suum est; Religio servit, ut reddamus DEO debitum cultum; Observantia, ut illis qui nobis præsunt reddamus reverenti-

am,

am, & ſic de aliis. Poſteriores verò decem, videlicet Temperantia, Liberalitas, Philotimia, Magnificentia, Magnanimitas, Veritas, Affabilitas, Eutrapelia, Fortitudo, Manſvetudo, ſerviunt, ut propriæ paſſiones, & affectus bene regantur. v. g. Temperantia ſervit, ut affectus vitioſus frenetur ſeu appetitus concupiſcibilis. Circa objecta delectabilia ritè occupetur; Liberalitas ſervit, ut affectus ad expenſas faciendas rationabiliter fiat; Philotimia id eſt Amor honoris ſervit, ut deſiderium dignitatum ordinatè exerceatur. Ex ſic de reliquis.

SECTIO IX.

DE ORATIONE.

Q. *Quid eſt Oratio?*

R. Eſt fiducialis deſiderii noſtri ad DEUM directio ſupplicatione inculpabili facta. Sine deſiderio enim rei petitæ ſupplicatio potius fieret deriſio, & ludus: neque etiam quis accedit ad eum, quem certè ſcit nunquam ad vota flectendum. Adeoquè quod eſt eſ-

ſentiæ Orationis, puta *deſiderium*, & *Spes*, præſens definitio Orationis jam in ſe includit.

Q. *Præter deſiderium, & Spem quid adhuc ad veram Orationem requiritur?*

R. Hæc duo: Unum mentis attentio, quia irreverenter quis aliquem alloqueretur tamquam mentis inops non attendens ad ea, quæ proferret & Alterum p æ voluntatis affectio; ſine hac enim non fieret ſeria Oratio, ſed potius illuſoria.

Q. *Quotuplex eſt Attentio?*

R. Triplex: Prima ad verba, quæ ore proferuntur, Secunda ad ſenſum verborum, & Tertia ad finem Orationis, videlicet ad DEUM, & ad rem pro qua oratur; omnium optima.

Q. *Quotuplex eſt Oratio?*

R. Duplex Vocalis, & Mentalis. Vocalis eſt, quæ voce perficitur prolata corde coram DEO deſideriô explicatô; Mentalis verò ſola mente ſit.

Q. *Quid eſt Oratio Mentalis?*

R. Eſt Studioſa inveſtigatio veritatis ad concipiendum devotionis fervorem.

Q.

Q. *Quotuplex eſt Oratio Vocalis?*

R. Duplex: *Privata*, quæ fit privato nomine, quamvis pro omnibus, & *Publica*: quæ fit nomine totius Eccleſiæ à Miniſtris ab ea ad DEUM deputatis, ut Horæ Canonicæ, quæ perſolvuntur à Clericis.

Q. *Quæ eſt Præſtantior?*

R. Publica. Nihil enim ſublimiùs eſſe poteſt, quàm legatum ab Univerſali Eccleſia ad DEUM deputari, ejuſque nomine Divinæ Majeſtati ſupplicare, ne peccatîs noſtrîs concitata in iracundia contineat miſericordias ſuas.

Q. *Oratio poteſtnè ſuo effectu non fruſtrari?*

R. Poteſt, ſi habeat debitas conditiones, quæ ſunt; 1. Ut fiat piè, id eſt, ſine divagatione mentis. 2. Cum *fiducia. Nemo* enim *ad eum acceſſit*, inquit Chryſoſtomus hom. de Moyſe, *flens, qui non quod poſtulavit accepit*. 3. Ut fiat pro ſeipſo, ideſt, ut prius ſit ſolicitus de gratia Spiritus Sancti in quo clamet Abba Pater! 4. Ut fiat cum perſeve-

rantia nihil hæſitando ut ſvadet Apoſtolus Rom. 8. 15.

Q. *Quid tenendum de Oratione pro aliis?*

R. 1. Si hæc fiat ex motivo charitatis, infallibiliter eſt oranti meritoria, cum ſit opus bonum. 2. Eſt etiam utilis; poſſumus enim DEO lucrari pro quibus fundimus preces, velut lucratus eſt Stephanus Saulum, qui ex perſecutore Chriſti, factus eſt Apoſtolus illius. 3. Non ſemper eſt aliis impetratoria, quia plerumquè ponunt obicem indiſpoſitionis.

Q. *Quæ cauſa quod DEUS non exaudiat illico Orantium preces?*

R. 1. Ut tanto magis augeantur noſtra deſideria, extendantur corda, ut valeant tendem capere Cæleſtium theſaurorum margaritas. 2 Ut nos in humilitate contineat per *experientiam* propriæ indigentiæ, & infirmitatis. 3. Ut bona illius in majori habeantur pretio, & ſollicitius conſerventur. 4. Ut nos tamquam parvulos, & infirmos ſibi devinciat. *SS. Aug: & Chryſoſt:*

Q. *Quo tempore, & quoties urget præceptum*

ceptum fundendæ Orationis ad DEUM?

R. Determinari præcisè non potest, cùm id teneat se partim ex parte DEI ordinantis, partim ex parte dispositionis uniuscujusquè ubi attendendæ & tentationes, ac aliæ circumstantiæ. Procerto tamen tenendum sæpius esse orandum, alias cum periculo salutis illud tam laudabile, & excellens Religionis opus differetur.

SECTIO X.

DE PECCATIS.

Q. *Quid est peccatum?*

R. Est libera transgressio legis Divinæ, vel humanæ.

Q. *Quotuplex est peccatum?*

R. Duplex: Originale, & personale. Personale aliud est Actuale, aliud habituale, aliud mortale, aliud veniale, aliud contra Spiritum Sanctum, aliud clamans in Cælum vindictam ab illo quasi deposcens, aliud alienum, aliud excogitatum.

Q. *Quid est peccatum Originale?*

R. Est illud, quod primus Parens

noster

noster Adamus commisit vetitum fructum comedendo, & in nos per naturalem propagationem transfunditur.

Q. *Quid est peccatum personale?*

R. Est illud, quod à propria cujusque persona committitur.

Q. *Quid est peccatum actuale?*

R. Est actualis transgressio legis Divinæ vel humanæ.

Q. *Quid est peccatum habituale?*

R. Est macula quædam relicta ex peccato actuali moraliter in anima permanens.

Q. *Quid est peccatum mortale?*

R. Est libera, & voluntaria transgressio legis Divinæ, vel humanæ in re gravi, cui debetur pœna æterna.

Q. *Quid est peccatum veniale?*

R. Est libera & voluntaria transgressio legis Divinæ, vel humanæ in parva materia, cui debetur pœna temporalis in Purgatorio post mortem, vel adhuc in hac vita.

Q. *Quid est Purgatorium?*

R. Est locus à DEO destinatus, in quo post mortem animæ Justorum ad

tempus

tempus ſatisfaciunt juſtitiæ Divinæ pro ſuis peccatis, pro quibus in hac vita non ſatisfecerunt poſtea ad viſionem DEI admittendæ.

Q. *Quomodo poteſt probari dari talem locum?*

R. Secundi Machabæorum Cap. 12. docet nos Sacra Scriptura Judam Machabæum curari orari & Sacrificium offerri pro Defunctis, ubi & concluditur, *Sancta ergo, & Salubris eſt cogitatio pro Defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Pro quibus ergo Defunctis exorandum, ut à peccatis ſolvantur? non pro illis, qui in Cælo ſunt; quia hi non habent à quo amplius ſolvantur, utpote æternum felices, & noſtris orationibus non indigentes, & alioquin ibi non eſſent, ſi adhuc quid exolvendū pro peccatis haberent juxta illud Apoc. 21. 17. *Nihil coinquinatum intrabit in Regnum Cælorum.* Non etiam exorandum eſt pro defunctis, qui ſunt in inferno, ut à peccatis ſolvantur, quia *ex inferno nulla redemptio.* Matth. 25. 40. ergo debet eſſe tertius locus in quo exiſtentibus defunctis proſunt noſtræ o-

ratio-

rationes, & nobis eſt pro illis exorandum, ut à peccatis ſolvantur, & hic eſt Purgatorium.

Q. *Quid eſt peccatum contra Spiritum S.?*

R. Eſt quod & in hoc, & in altero ſæculo propter indiſpoſitionem peccatoris difficulter remittitur.

Q. *Quot ſunt peccata contra Spiritum S.?*

R. Sex: 1. Deſperatio propriæ ſalutis. 2. Præſumptio illius adipiſcendæ ſine meritis. 3. Impugnatio agnitæ veritatis. 4. Invidentia fraternæ charitatis, quando quis triſtatur, vel invidô oculô aſpicit, quod gratia DEI creſcat in alio. 5. Obſtinatio ſeu obduratio in peccatis. 6. Impænitentia finalis.

Q. *Quid eſt peccatum clamans in Cælum?*

R. Quod DEUS in hoc mundo frequenter propalat, & punit indilatè.

Q. *Quot ſuns peccata in Cælū clamantia?*

R. Quatuor: 1. Homicidium voluntarium. 2. Sodomia. 3. Opreſſio pauperum, viduarum; & pupillorum. 4. Merces operariorum defraudata, vel detenta.

Q. *Quid eſt peccatum alienum?*

R. Eſt

R. Eſt quod alter quidem re ipſa committit, ſed nobis quoque vel jubentibus, vel conſulentibus, vel permittentibus, vel non impedientibus, aut occaſionem verbô vel factô dantibus, imputatur,

Q. *Quid eſt peccatum excogitatum?*

R. Eſt quod nobis ipſis excogitamus putantes erroneè, aut ſcrupuloſè ibi eſſe peccatum ubi re ipſa nullū eſt.

Q. *Quid eſt peccatum capitale?*

R. Eſt ex quo velut ex fonte alia peccata promanant.

Q. *Quot ſunt peccata capitalia?*

R. Septem: Superbia, Avaritia, Luxuria, Ira, Gula, Invidia, & Acedia.

Q. *Quomodo quodlibet horum definitur quas, & quot habet filias, & quomodo hæ etiam definiuntur ſeu explicantur?*

R. *Superbia* eſt appetitus inordinatus propriæ excellentiæ motivô cujus vult aliquis ſuper alios excellere, & ire. Filiæ illius ſunt vana gloria, præſumptio, ambitio. vana gloria eſt inanis cupiditas exiſtimationis, ex manifeſtatione propriæ excellentiæ ſive ve-

ræ, sive fictæ: præsumptio est cupiditas aggrediendi aliquid magnum, & arduum supra proprias vires: Ambitio est inordinata cupiditas dignitatis, & honoris non debiti, vel debitô majoris.

Avaritia est appetitus inordinatus divitiarum. Filias habet sex, & sunt: Obduratio cordis, inquietudo mentis, violentia in rapiendo vel retinendo aliena: fallatia, seu dolus in verbis: Fraus, sive dolus in facto: Proditio contra fidem datam proximo cum detrimento facultatum illius.

Luxuria est inordinatus appetitus venereorum. Filiæ illius sunt octo: 1. Cæcitas mentis in rebus salutis. 2. Præcipitatio, quæ sine consilio operatur. 3. Inconsideratio, sine rubore exequens indecentia. 4. Inconstantia in bonis propositis. 5. Amor sui. 6. Odium DEI prohibentis, & vindicantis illicita venerea. 7. Affectus præsentis sæculi, & 8. Horror futuri.

Ira est appetitus inordinatus vindictæ. Filiæ illius sunt septem: Indignatio, tumor mentis, clamor, blasphemia,

mia, contumelia, opprobrium, & rixa. Tumor mentis consistit in morosa excogitatione diversarum viarum vindictæ, quibus cogitationibus animus tumescit.

Gula est inordinatus appetitus cibi, & potûs. Filiæ illius sunt quatuor: Hebetudo mentis, inepta lætitia, multiloquium, & securrilitas.

Invidia est tristitia de alterius bono. prout est diminutivum propriæ excellentiæ. Filiæ illius sunt quinque: Odium, susurratio, detractio, gaudium in adversis proximi, & tristitia in prosperis.

Acedia est fastidium rerum spiritualium. Filiæ illius sunt sex: Desperatio salutis; pusillanimitas, quâ quis non audet aggredi perfectionis viam; torpor in non adimplendis præceptis; Malitia, quâ quis odit spiritualia; rancor, quô sunt ei indignationi, qui ad spiritualia inducunt; & evagatio mentis in oratione.

Q. *Quotuplex est adhuc peccatum?*

R. Multiplex: 1. Commissionis, & O-

& Omiſſionis. Primum fit per tranſgreſſionem præcepti negativi; ſecundum fit per tranſgreſſionem præcepti affirmativi. 2. Cordis, oris, & operis. 3. Spirituale, quod inordinata delectatione Spirituali perficitur, ut ſuperbia, & vana gloria. 4. Carnale, quod inordinata concupiſcentia carnis perficitur, ut luxuria, gula.

Q. *Quæ requiruntur ad peccatum mortale?*

R. Hæc tria: 1. Ex parte intellectûs plena advertentia. 2. Ex parte voluntatis perfectus conſenſus. 3. Gravitas materiæ, ex quibus, ſi unum deſit, non erit peccatum mortale, ſed veniale.

Q. *Quotuplex eſt peccatum mortale?*

R. Duplex: ex genere ſuo, quod fit contra legem graviter obligantem. v. g. Non mæchaberis; & per accidens ex circumſtantia adjuncta. v. g. furtum acus ſartori pauperi, qui ea carens omittit operam, unde ſuſtentari poterat commodè.

Q. *Quot modis peccatum ex genere ſuo mortale poteſt tranſire in veniale?*

R. Tri-

R. Tribus: 1. si ex parte intellectûs non adsit plena advertentia malitiæ peccati. 2. Si ex parte voluntatis non adsit perfectus consensus. 3. Ex parte materiæ, si hæc sit parvi momenti, v. g. furtum unius assis.

Q. *Quot modis peccatum veniale ex genere suo, potest transire in mortale?*

R. Quinque: 1. Ratione conscientiæ erroneæ, aut scrupulosæ, dum ille actus, qui ex natura est levis, judicatur esse gravis. 2. Ratione inobedientiæ, & formalis contemptus. 3. Ratione nimii affectus in rem aliquam, ut potius præceptum graviter obligans transgrederetur, quàm illa ommitteretur. 4. Ratione scandali, dum adest periculum ruinæ spiritualis proximi per positionem talis actus, qui ex natura sua est levis. 5. Ratione finis moralis adjuncti, dum scilicet quis exercet aliquem actum levem, ut per eum perveniat ad alium gravem.

Q. *Quotuplex est distinctio peccatorum?*

R. Duplex: Specifica, & numerica. Specifica per quam unum peccatum

tum differt ab alio ſpecie. Numerica verò eſt illa per quam numero peccata diſtingvuntur, & ſecernuntur.

Quia verò actus ab actu ſecundū ſpecificam diſtinctionem phyſicam ſolet differri per objectum diverſum; hinc non eſt hic intelligenda diſtinctio phyſica peccatorum ſecundum eſſe ſuum materiale, ſed moralis; quia in uno actu poſſunt eſſe plura peccata; quæ inter ſe ſpecie ſint diſtincta. Et ſic: habens votum caſtitatis, peccet ſemel cū muliere conjugata, ſed ſibi conſangvinea, quamvis unum numero, quadruplex tamen ſpecie committet peccatum quatuor diverſis virtutibus oppoſitum. Et quidem primum contra temperantiam, ob libidinem. Secundum contra Religionem, ob votum. Tertium contra Juſtitiam, ob adulterium; & Quartum contra Pietatem, ob inceſtum. Hinc

Q. *Unde deſumitur diſtinctio ſpecifica moralis peccatorum?*

R. Deſumitur per oppoſitionem ad diverſas virtutes, ut patet ex caſu

imme-

immediatè allato: vel ad diversas res ab eadem virtute imperatas, ut avaritia, & prodigalitas, specie differunt non obstante, quod opponantur eidem virtuti Liberalitati videlicet.

Q. *Unde desumitur distinctio numerica moralis peccatorum?*

R. Ex actibus voluntatis moraliter interruptis, sive illi sint interni tantùm, sive externi. Nullum enim est peccatum, nisi quod ab ipsa voluntate deliberatè procedit.

SECTIO XI.

ULTERIOR NOTITIA DE PECCATIS.

Q. *In quo convenit, & differt peccatum mortale à veniali?*

R. Convenit in conversione ad creaturam; quia utrumque est inordinatus amor creaturæ: Differunt autē essentialiter per hoc, quod mortale sit aversio à DEO summo bono, non autem veniale. Peccator enim per peccatum mortale àbjicit DEI imperium, & suum finem ultimum in creatura constituit: per peccatum autem veni-

ale non cessat DEO adhærere; nec ita ad creaturam convertitur, ut in illa constituat finem suum ultimum; paratus namq; est potius relinquere illa, quæ inordinatè diligit, & in quibus delinquit, quàm à Creatore suo avelli. Unde Conc. Trid. sess. 6. Cap. 11. inquit. *Licet in hac mortali vita quantumvis Sancti, & Justi in levia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant, non propterea desinunt esse Justi.*

Q. *Peccatum Originale contrahuntne omnes posteri Adami absque exceptione?*

R. Ab hoc excepta fuit B. MARIA Virgo, quatenus anima Ejus in primo suæ creationis instanti fuit ornata gratia sanctificante. Hæc doctrina quamvis non sit de fide, est tamen fidei consona juxta piam opinionem multorum. Opinionem dico: quia nihil hucusque de hac re definivit S. Mater Ecclesia. Quod enim afferri posset ex Concilio Basiliensi sess. 39. Annô 1439. celebrato pro Conceptione Immaculata B. M. V. hoc Conciliũ pro-

tunc

tunc acephalum fuisse, consequenter ejus definitionem nullius authoritatis esse refert. *Biluart.*

Q. *Quales pœnas post se traxit peccatum Originale?*

R. Pœnæ, quas peccatum post se traxit Originale aliæ respiciunt corpus, aliæ animam, aliæ præsentem, aliæ futuram vitam. Pœnæ corporis sunt: morbi, & aliæ infinitæ, ùt ita loquamur, miseriæ. Pœnæ animæ juxta S. Thomam 1. 2. qu. 85. Ar. 3. sunt quatuor: ignorantia in intellectu; malitia in voluntate; infirmitas in appetitu irascibili, & concupiscentia in concupiscibili.

Q. *Quæ est pœna peccati Originalis in futura vita?*

R. Fides docet parvulos sine Baptismo decedentes privari æternâ vitâ. Ita definivit Conc. Flor. sess. ult. & Trid. sess. 5. Can. 4 Scriptum est enim Joann 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum DEI.* Neque hi fruuntur aliqua beatitudine naturali, quia, ut Concili-

um Florentinum *l. c.* declaravit illorum animæ mox in infernum descendunt nullam pænam sensus, juxta S. Thom. qu. 5. de malo animæ art. 5. nullamquè tristitiam passuræ, nullumvè dolorem ex privatione (cæteroquin ibi existentes) visionis illius bæatificæ percepturæ. Contraria sententia rejecta accedens ad hæresim Pelagianam asserendo hujusmodi parvulos post judicium Universale incolatum ducturos super faciem terræ velut in Paradiso terrestri, plenos sapientia, & virtutibus moralibus, identidemque fruituros consortio Angelorum.

SECTIO XII.

DE ORDINIBUS.

Q. *Quid est Ordo?*

R. Est Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, in quo traditur spiritualis potestas Ordinato ad aliquod ministerium circa Eucharistiam dignè exhibendum.

Q. *Quot sunt Ordines?*

R. Septem: Ostiaratus, Lectoratus,

tus, Exorcistatus, Acolithatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Ex his Subdiaconatus, & Diaconatus, ac Presbyteratus sunt Ordines majores, & Sacri, quia his ordinati immediatiùs inserviunt Missæ Sacrificio juxta proprium Officium, & tenentur ad servandam castitatem, & Breviarium recitandum. Ostiaratus verò, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolithatus vocantur Ordines minores, & non Sacri, eo, quod immediatè non assistunt Altari Clerici illis ordinati nec inserviunt immediatè Sacerdoti solemniter celebranti, neque habent annexum votum castitatis, & recitationem Breviarii.

Et quamvis Omnes hi Ordines ratione Sacramenti singuli sint Sacri, debentque ita appellari, cum quilibet illorum sit Sacramentum juxta SS. Thomam, & Bonaventuram; non tamen ideo plura erunt Ordinis Sacramenta, plenitudo enim hujus Sacramenti est in uno Ordine scilicet Sacerdotio, in aliis autem quædam partici-

patio Ordinis, cum quilibet horum suô modô respiciat Sacerdotium tamquam finem suum principalem, & adæquatū.

Q. *Episcopatus Estne Ordo?*

R. Est Ordo propriè dictus; quia est spiritualis potestas Ordinandi Sacerdotes, & Episcopos, conferendi Sacramentum Confirmationis; Chrisma, & Oleum Sacrum conficiendi, & cæteras ejusmodi functiones obeundi. Idem tamen est Ordo cum Sacerdotio velut gradus quidam extensioque illius ad prædicta munia. Unde novum characterem non imprimit, sed Sacerdotalem ampliat.

Q. *Quotuplex est materia Ordinis?*

R. Duplex: Remota, & proxima. Remota cujuslibet Ordinis est illa res, quæ traditur ab Episcopo suscipienti aliquem Ordinem. Materia verò proxima est ipsamet traditio illius rei. Forma autem sunt verba prolata ab Episcopo in traditione ejusmodi rei.

Q. *Quis est Minister Sacramenti Ordinis?*

R. Solus Episcopus. Minores tamen

men Ordines possunt conferre Abbates Claustrales suis Religiosis Professis, & non Novitiîs, quia hi non dum sunt illorum subditi, quod requiritur.

Q. *Quot sunt effectus Ordinis?*

R. Duo: 1. Gratia habitualis. 2. Character, qui est signaculum quoddam animæ impressum à DEO suscipientis Sacramentum non iterabile. Huc accedunt dicta supra f. 2. & 3. gratia Sacramentalis.

Q. *Quando Chistus Dominus instituit Sacramentum Ordinis?*

R. Quando dixit ad Apostolos postquam illos communicasset in ultima Cæna: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Q. *Estne necesse ad validitatem Sacramenti Ordinis, ut Ordinandi verè, & realiter tangant res, quæ sunt materia remota Ordinum, quos suscipiunt?*

R. S. Thomas, & post ipsum cebriores Theologi affirmant, quod omnino: & eodem etiam tempore quô Episcopus profert verba formæ, quia materia debet esse conjuncta formæ;

quod

quod tamen intelligitur moraliter, & non rigorose: eatenus quamvis intercederet breve aliquod intervallum inter tactum, & prolationem formæ verborum, censeretur tamen unita materiæ: moraliter etiam accipi debet tactus, qui requiritur, ideoque sufficit tangere instrumentũ continens quamvis non tangatur contentum in illo: Sicut sufficit, quod ordinati in Presbyteratum tangant calicem, licèt non tangant vinum, quod in calice contineatur, vel patenam cum hostia super calicem collocatam. *Genetto*, & quoad ultimum DD Cracovienses 1758 occasione ejusmodi emergentiæ. Idem dicendum in aliis Sacramentis proportionaliter.

Q. *Quânam Ætate suscipiendi sunt Ordines?*

R. Juxta Concilium Tridentinũ sess. 23. de ref. c. 4. Nullus ad Subdiaconatûs ante 22. ad Diaconatûs ante 23. ad Presbyteratûs verò Ordinem ante vigesimum quintum ætatis suæ Annum promoveri debet. Ubi tamen obser-

obſervandum eſt, quod ejuſmodi Annus ſufficiat quocunque modo etiam brevis admodum intervalli inchoatus: quia in favorabilibus annus inceptus pro completo habetur. Et quia ad Primam Tonſuram, & quatuor Minores Ordines requiratur ſufficiens ſcientia cum aliis requiſitis, ut vult P. Anacletus, hinc conformiter dictis ſupra f. 1. tam hæc, quam iſti valde præmaturæ ætatis nequaquam ſunt conferendi, & neque ante annum decimum quartum ſaltem inchoatum tales poſſunt obtinere Beneficium. Trid. *ſeſſ. 23. c, 6. de ref.*

Q. *Quænam Interſtitia ſervanda ſunt in minoribus Ordinibus?*

R. Concilium Tridentinum citra ſtatutum optat, ut unus quiſque horum nonniſi quatuor Temporibûs ſucceſſivìs conferatur quod tamen reliquit libertati Epiſcoporum.

Q. *Quænam interſtitia ſervanda ſunt in Maioribus Ordinibus?*

R. Idem Concilium Trid. ſeſſ. 13. de ref. c. 1. ſtatuit ut annus ſer-

vetur

vetur à ſuſceptione unius ad alterius ſuſceptionem, niſi Epiſcopo ob Eccleſiæ utilitatem, aut neceſſitatem aliter videatur.

Q. *Quid eſt Oſtiaratus?*

R. Eſt Ordo, quô datur poteſtas aperiendi, & claudendi Eccleſiam ejuſque ſupellectilem cuſtodiendi.

Q. *Quotuplex eſt Materia huius Ordinis?*

R. Duplex: Remota, & Proxima. *Remota*, ſunt claves Eccleſiæ: *Proxima* eſt traditio illarum clavium ſuſcipienti Ordinem Oſtiaratûs: Forma autem ſunt verba, quæ Epiſcopus profert ſub clavium traditione. *Sic age, quaſi rationem DEO redditurus pro his rebus, quæ his clavibus reſerantur.*

Q. *Quod eſt officium Oſtiarii?*

R. Eſt fores Eccleſiæ cuſtodire. Eccleſiam ſuo tempore aperire, & claudere. Infideles, & Hæreticos, ac excommunicatos, & alios quibus jure interdictum eſt, ab Eccleſia arcere, & ejicere: populum propius ad Sacerdotem rem divinam facientem non permittere accedere: campanas pulſare: in Ec-

in Ecclesia dormientes, vendentes, ementes, deambulantes, colloquentes, & alia ratione divina Officia perturbantes, quôvis modô indecorè atque irreverenter se habentes monere; si pertinaces sint, expellere, aut ad Superiorem deferre, mendicantes excludere; Ecclesiam verrendam curare; bruta denique, canesque expellere; & quidcunque in Ecclesia dedecet, amovere.

Q. *Quid est Lectoratus?*

R. Est Ordo quo datur potestas Legendi in Ecclesia Scripturam Sacrã utriusque Testamenti, & scripta Sanctorum Patrum.

Q. *Quotuplex est materia Lectoratûs?*

R. Duplex: Remota & Proxima. *Remota*, est liber Sacræ Scripturæ utriusque Testamenti. *Proxima* verò traditio ejusdem libri: Forma autem sunt verba, quæ Episcopus profert, tradens talem librum: *Accipe potestatem, & esto verbi DEI relator &c.*

Q. *Quod est Officium Lectoris?*

R. 1. Legere Sacram Scripturam publicè in Ecclesia. 2, Tradere fidei rudi-

rudimenta, & in illis erudire rudiorem populum. 3. Benedicere novos fructus quod quidem modo non eſt amplius jam in uſu.

Q. *Quid eſt Exorciſtatus?*

R. Eſt Ordo, quo tribuitur poteſtas legendi exorciſmos ſupra obſſeſſos à dæmonibus tam baptiſatos, quã Catechumenos.

Q. *Quotuplex eſt materia Exorciſtatûs?*

R. Duplex: Remota, & Proxima. *Remota* eſt liber exorciſmorum; Proxima vero traditio talis libri. Forma vero ſunt verba, quæ Epiſcopus profert illum librum tradendo: *Accipe, & commenda memoriæ, & habe poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos ſive baptiſatos, ſive Catechumenos.*

Q. *Quod eſt Officium Exorciſtæ?*

R. Eſt imponere manus ſuper obſſeſſos à dæmone, & legere ſuper illos exorciſmos, quod quidem munus defacto tantùm Preſbyteri cum licentia Epiſcopi obeunt. Obſervare etiam debet Exorciſta ne aqua benedicta deficiat

ficiat in Ecclesia, & Parocho in Baptismi administratione inservire.

Q. *Quid est Acolithatus?*

R. Est Ordo, quô datur potestas obsequium præstandi Subdiacono, & Diacono tempore Missæ Sacrificii. Siquidem Acolithus juxta nomen suum græcum famulus, & obsequista interpretatur.

Q. *Quotuplex est materia Acolithatûs?*

R. Duplex: Remota & Proxima. *Remota*, est candelabrum cum cereo extincto, & urceoli vacui; *Proxima*, est traditio urceolorum vacuorum, & candelabri cum cereo extincto, Forma quoque est duplex, una cum traditur candelabrum consistens in verbis Episcopi dicentis: *Accipe candelabrum cum cereo, ut scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipatum in Nomine Domini.* Altera cum urceoli traduntur Episcopo dicente: *Accipe Urceolos ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sangvinis Christi in Nomine Domini.*

Q. *Quod est Officium Acolithi?*

R. Est, 1. parare vinum, & a-

quam

quam in urceolis, pro Missæ Sacrificio, quos deinde porigit Subdiacono. 2. Deferre lumina cantante solemniter Evangelium Diacono. 3. Candelas Ecclesiæ accendere, & conservare.

Q. *Quando hi Ordines singuli fuerunt instituti?*

R. *Ostiaratus* fuit institutus à Christo Domino, quando ementes, & vendentes ejecit ex templo. *Lectoratus*, quando in medio Seniorum Librum aperuit Isaiæ, & completa lectione clausit, & dedit Ministro: *Exorcistatus*, quando tetigit aures surdi, & muti dicendo: *effeta, quod est adaperire: Acolithatus*, quando dixit: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

Q. *Si quis reciperet Ordines sine Prima Tonsura, essetne validè Ordinatus?*

R. Esset validè Ordinatus, sicut qui reciperet Ordinem superiorem non dum habens inferiorem; verùm præter peccatum, quod committeret, suspensus esset ab executione Ordinis suscepti sine Prima Tonsura, quem qui non

exer-

exercuit, poteſt cum illo Epiſcopus ex legitima cauſa diſpenſare, & conferre eidem Primam Tonſuram, aut Ordinem non ſuſceptum. Trid. *ſeſſ.* 23. *de ref. c.* 14. ſecus foret dicendum de non baptiſato; quia Baptiſmus eſt janua reliquorum omnium Sacramentorum.

Q. *Poſſuntne duo Ordines maiores una die conferri?*

R. Non poſſunt etiam Regularibus, quia hoc eſſet contra expreſſam prohibitionem Tridentini *l. c. cap.* 13.

Q. *Poſſuntne Quatuor Ordines Minores cum Subdiaconatu ſimul recipi?*

R. Stando juri Communi non poſſunt. Trid. *l.* c. 11. verùm conſvetudinem illam, quâ in aliquibus locis eodem die cuipiam quatuor Ordines Minores conferuntur una cum Subdiaconatu, rectè admittit Navarrus cap. 25. Manual. n. 71. Engel, & alii.

Q. *Confirmatio eſtne præmittenda ſuſcipiendis Ordinibus?*

R. Sanctiſſimè providit Mater Eccleſia in Concilio Tridentino *l.* c.

cap.

cap. 4. ne Tonſura, & Ordines conſe- rantur non confirmatis; nihilominus tamen, qui Sacros Ordines ante Confirmationem recepiſſet, Ordinatio illius fieret valida, verùm accedente negligentia, aut culpabili ignorantia grave talis committeret peccatum.

Q. *In quo ſita eſt recta intentio quæ præ- requiritur ad Ordines ſuſcipiendos?*

R. In hoc, ut Ordinandus aliud in præconcepto non habeat, quàm ſeſe DEO ejuſq; Eccleſiæ conſecrandi, & quod unicam DEI gloriam animarūq; ſalutem, ac propriæ perfectionis curam intendat. Con. Trid. *ſeſſ.* 21. *de ref. c.* 4.

Q. *Eſtne licitum Ordinari propter Beneficium?*

R. Cum exploratum ingemiſcat S. Mater Eccleſia ex deploranda cæcitate honores, & commoda temporalia in Eccleſiaſticis Beneficiis frequentius quieri, quam laborem in vineaDomini, & opus denarii mercedis æternæ lucrandæ; ac propriam potius, quam DEI Divinique cultûs utilitatem: ideò intentio ſuſcipiendi Ordines propter

Bene-

Beneficium Ecclesiasticum expressè reprobata est. Conc. Trid. *de Ord* 7. *in Catechis.*

Q. *Teneturne Ordinatus recitare sub mortali Psalmos in Ordinatione ab Episcopo injunctos?*

R. Cum Castro Palao probabile est quod Episcopi sit intentio, quæ non obligat illos ad hoc sub mortali peccato, sed tantùm ex decentia, & honestate. Solet autem hæc obligatio imponi Subdiaconis, & Diaconis unô nocturnô cum Laudibus dicendis talis diei, qui terminus ly *talis*, cum sit respectivus, denotat illam diem quæ erit oportuna ad persolvendum, quod injunctum est Ordinato.

Q. *Potestne quis sine Titulo Ordinari, & quotuplex est Titulus, quidque ille denotat?*

R. Per Titulum intelligitur Beneficium Ecclesiasticum, vel aliud medium honestæ sustentationis, quod omnino requiritur juxta decisionem. Trid, *sess.* 21. *cap.* 2. *de refor.* Titulus igitur ejusmodi est triplex. Primus Beneficii Ecclesiastici; secundus Patrimonii, vel

nii, vel Pensionis, & Tertius Paupertatis Religiosæ Professionis videlicet. Religiosi enim Professi propter Christum omnia sua relinquentes, nihilque in hoc mundo proprium possidentes ordinantur ad Titulum Paupertatis juxta Pontificale Romanum §. *De Ordinatione Subdiaconi.*

Q. *Clericus Ordinatus non incedens in habitu decenti, & Tonsura, peccatnè?*

R. Sine dubio, quia talis facit contra Canones hoc graviter præcipientes, & injungentes, juxta quod in aliquibus locis sunt edicta hoc inculcantia sub pæna excommunicationis.

Q. *Quo tempore Ordines sunt Conferendi?*

R. Sacri Ordines in sabatis quatuor Temporum; & in Sabato præcedente Dominicam Passionis, & Sabbato Sancto conferri debent, nisi fors habeatur favor Romanus, ut quocunque tempore conferantur: Minores autem non tantùm in prædictis Sabbatis, sed etiam singulis diebus Dominicis, & Festivis licitè conferuntur.

APPA-

APPARATUS II.

De Iis,

quæ ſunt ſcitu neceſſaria

Ad Sacrum Ordinem Subdiaconatûs promovendis.

SECTIO I.

DE SACRO ORDINE SUBDIACONATUS.

Q. *Quid eſt Subdiaconatûs?*

R. Eſt Ordo Sacer quo datur poteſtas Ordinato ſolemniter (ideſt cum manipulo) cantandi in Miſſa Epiſtolam, & portandi Calicem præparatum ad Altare, ibique miniſtrandi Diacono, & Preſbytero celebranti.

Q. *Quotuplex, & quæ eſt materia Subdiaconatûs?*

R. Duplex: Remota, & Proxima. *Remota* eſt duplex: Una Calix vacuus, & patena vacua: Altera verò Liber Epiſtolarum: *Proxima* autem eſt horum traditio, Forma quoque eſt duplex, u-

na verba, quæ profert Episcopus, dum calicem cum patena tradit dicendo: *Videte cuius ministerium vobis traditur ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut DEO placere possitis:* Altera verba, quæ profert tradendo Librum Epistolarum dicens: *Accipite Librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta DEI tam pro vivis, quam pro Defunctis &c.*

Q. *Quod est Officium Subdiaconi?*

R. 1. Calicem, & patenam cum Hostia pro Missa solemni decenter præparare, illum ad Ecclesiam delatum in Ara collocare, ac Diacono offerre. 2. Sacerdoti celebranti aquam fundere pro abluendis digitorum extremitatibus. Epistolam cum manipulo solemniter cantare. 3. Vinum, & aquam ad usum Sacrificii Diacono subministrare. 4. Pallas usui Sacro deputatas, Corporalia, & purificatoria lavare, aquamque ex his lotis in piscinam Sacram mittere cum cautione in Pontificali præscripta.

Q. *Quando fuit institutus Ordo Subdiaconatus, & à quo?*

R. A

R. A Christo Domino Joann. 13 Quando Linteo præcinctus pedes Discipulorum lavit. Quia verò pro tunc nondum fuerat materia hujus S. Ordinis Liber Epistolarum & calix cum patena, notandum propterea, quod Christus Dominus materiam, & formam Sacramenti Ordinis, tantùm in communi instituit, ùt videlicet sit res aliqua sensibilis pro materia, & pro forma verba exprimentia potestatem Ordinis. In specie autem, & in particulari assignare materiam, & formam, reliquit arbitrio Ecclesiæ.

Q. *Quæ sunt Ornamenta Subdiaconi?*

R. Proprium Ornamentum quô vestiri debet Subdiaconus, est manipulus: Alba verò amictus, cingulus, & Tunicella sunt vestimenta comunia cum Diacono. Tunicella significat doctrinam Christi; unde & in veteri Lege tintinabula ex tunicæ extremitatibus pendebant, quod longius audiri debuerat sonus doctrinæ illorum qui tali vestimento induebantur: vel denotat lætitiam & jucunditatem, quæ se-

 quetur

quetur perſeverantiam caſtitatis, obſervatæ.

Q. *Quæ eſt obligatio Subdiaconi?*

R. Recitare Horas Canonicas, & Caſtitatem perpetuam ſervare; quia Votum Caſtitatis eſt implicitè annexum Ordini ſubdiaconatûs; quod etiam tunc ſolemnizatur ex conſtitutione Eccleſiæ dum hic ſuſcipitur quamvis ſuſcipiens ad illud ſe non reflectat.

SECTIO II.

DE HORIS CANONICIS.

Q. *Quid ſunt Horæ Canonicæ?*

R. Horæ Canonicæ ſunt illæ preces vocales & publicæ, quæ conſtant ex præcipuis verbis Sacræ Scripturæ, Homiliis Patrum, & vita Sanctorum inſtitutæ per Sacros Canones, ut nomine Eccleſiæ fiant ab his certîs horîs diurnîs & nocturnîs, qui ad id ſpecialiter ſunt deputati, pro debito DEO reddendo honore, gratiis illi agendis pro beneficiis, & imploranda ipſius ope, & miſericordia.

Q. *Dum ille, qui quôcunque titulô tenetur*

netur ad Horas Canonicas recitandas, illas privatim absolvit, estne hæc oratio eius publica?

R. Est omnino; quia ab Ecclesia est instituta, & fit ejus nomine per ad id à se deputatū Ministrum; quâ ratione quamvis Laicus recitet horas Canonicas ex privata devotione etiam in Ecclesia, ejus Oratio semper erit privata: quia non est ab Ecclesia pro suo Ministro deputatus.

Q. *Persolutio Horarum Canonicarum unde suam trahit Originem?*

R. Ab illo more, qui fuit in initio nascentis Ecclesiæ, ubi S. Apostoli Statuerunt; ut certîs diei, & noctis horîs persolverentur preces excerptæ ex Sacra Scriptura, præcipuè verò ex Psalmis Clem. *l. 8. ad Tertull. de Jeiu. c. 10. in Const. Apost.* Quas successu temporum Ecclesia in illum modum redegit, quô defactô Breviarium recitatur.

Q. *Obligabanturnè primis statim Ecclesiæ temporibus Clerici ad recitationem Horarum Canonicarum?*

R. Ea ratione, quâ Clerici per ipsam suam Ordinationem ad aliquod

servi-

ſervitium in Eccleſia deputantur, & præcipuum illorum munus in oratione conſiſtit, facile patet Clericos omnes ad ſtrictos fuiſſe ad recitationem Horarum Canonicarum primis ſtatim Eccleſiæ temporibus, quæ frequens erat & inter Laicos Officio Divino tam diurno quam Nocturno præſentes, S. Baſilio *epiſt.* 63. referente.

Q. *Quæ fuit ratio, quod Eccleſia Horas Canonicas diverſis diei temporibus dicendas ſtatuerit?*

R. 1. Ad renovandum frequentiùs ſacrificium labiorum noſtrorum, quo nosmetipſos, quod poſſumus, quod habemus & quod ſumus offerre DEO debemus. 2. Ut Sacroſancta Myſteria noſtræ reparationis diverſis horîs à Domino noſtro JESU Chriſto cruenter perracta ſæpius nobis in memoriam revocemus. 3. Ut eo facilius Orationis alacritatem in nobis ipſis retineamus nullum dantes tempori locum, utpote quos decet vel maxime Spiritus Orationis.

Q.

Q. *Quæ sunt temporis horæ ab Ecclesia Horis Canonicis dicendis destinatæ?*

R. Esto Ecclesia DEI nunquam Divini Spiritus gubernatione destituta Ministris suis DEUM orantibus certas destinaverit horas, ille tamen numerus non continuo idem, & æqualis fuit. Tempore enim illo quo S. Cyprianus vixit, sex variæ horæ precationi erant assignatæ, videlicet hora matutina, tertia, sexta, nona. Hora demum vespertina, & ea quæ media nocte fiebat, illis quoque fuit adjuncta. De quibus singulis Constitutiones Apostolicæ. *Lib.* 8. *c.* 34. meminerunt. Successu temporis Laudes ineunte die, seu prima luce persolvebantur. Officium autem nocturnum in majoribus celebritatibus in tres distinctas horas dividebatur ita, ut prima tribus circiter horis mediam noctem præcederet, secunda in media nocte diceretur, tertia tandem tribus post horis persolvenda succederet, unde origo divisionis trium nocturnorum, qui hodie in uno continuo ipsa media nocte in Cathedralibus, & apud Religi-

osos

osos Ordines persolvuntur datô certô tempore pro consvetudine Locorum ejusmodi Divinarum Laudum residuitatis.

Q. *Qui sunt obligati ad recitandas Horas Canonicas?*

R. Ad septem Horas Canonicas dicendas tenentur Sacerdotes, & alii Clerici constituti in Sacris Ordinibus, sive habeant Beneficium, sive non; & omnes qui percipiunt Ecclesiastica Stipendia. *S. Thom. opus. 65. c. 2.* Huc spectant & Religiosi Professi, quamvis in Sacris nondum constituti.

Q. *Clericus Beneficiatus ommittens Horas Canonicas dicere ad quid tenetur?*

R. Ex Decreto Leonis X. Bulla 7. quæ incipit: *Supernæ dispositionis* Clericus Beneficiatus cessante legitimô impedimentô ommittens Horas Canonicas Beneficii sui fructus non debet facere suos, dum hoc illi contingit post sex menses ab obtento Beneficio, sed illos impendere tenetur in fabricam dicti Beneficii, vel in pauperum subsidium elemosynarium. Quod si ultra dictum tem-

tempus in ſua negligentia auderet permanere, monitione legitima præcedente, Beneficiô ipſô eſt privandus, cũ propter Officium detur Beneficium.

S. etiam Pius V. Papa Bulla 133. quæ incipit: *Ex proxima.* Statuit, ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus ommiſerit, omnes Beneficii ſeu Beneficiorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur, non faciat ſuos. Qui autem Matutinum tantùm, dimidium: qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam: qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejuſdem diei amittat.

Q. *Inſufficiens ad ſe ſuſtentandum habens Beneficium, obligaturne ad dicendas Horas Canonicas:*

R. Obligatur omnino; quia in hoc Pontifices nullam faciunt exceptionem, quam qui præſumeret facere, non niſi temerariè reſtringeret illorum Decreta.

Q. *Gaudentes quapiam penſione ſuper aliquo Beneficio conſtituta ad quid obligati exiſtunt?*

R.

R. Juxta Statutũ Pij V. in Bulla 135. ad recitandum Officium parvum de B. M. V.

Q. *Eſtne neceſſaria attentio in recitatione Horarum Canonicarum?*

R. Attentio interior in dicendis Horis Canonicis eſt omnino neceſſaria, ita, ut ſine hac & peccaret quis, & non ſatisfaceret obligationi dicendarum Horarum Canonicarum, cùm per Sanctos Patres, & Canones, qui ad hoc penſum Divinum recitandum tenentur, graviter moneantur, ut magis corde, quàm ore ſatagant cantare. Et Eccleſia etiam quamvis non præcipiat actus internos directè, præcipit tamen illos indirectè, & quatenus neceſſarii ſunt, ut debito modo impleantur externi, qui ſunt in præcepto.

Q. *Quæ Attentio requiritur in perſolutione Horarum Canonicarum?*

R. Attentio nihil aliud eſt, quàm animi applicatio ad orationem quæ actu peragitur. Et hæc, quamvis jam ſupra f. 9. diviſa ſit in triplicem ut ibi; aliô adhuc etiam modô æquè in tripli-

triplicem poteſt dividi in literalem videlicet, generalem, & Myſticam. *Literalis* eſt, dum applicatur animus ad literalem ſenſum verborum attendens dum pronunciantur ad eorum ſigificationem, ut ex illis pios concipiat affectus. *Generalis* eſt, quâ quis intendit generaliter in Oratione laudare DEUM, & ab eo neceſſaria petere. *Myſtica* verò eſt, quâ mens applicatur ad intelligendum myſticum ſenſum Pſalmorum, aut ad alia myſteria recolenda, & meditanda v. g. Domini Paſſionem. Quô præhabitô dico ex S. Thoma 4. *ſent. diſt.* 15. *qu.* 4. *a.* 2. *ad* 5. *Ultima attentio eſt laudabilior, quàm ſecunda; & ſecunda quàm prima.*

Q. *Eſtne neceſſe quod attentio in Horis Canonicis non prærumpatur?*

R. Attentio juxta Theologos eſt triplex quoad ſenſum præſentem, Actualis, virtualis, aut habitualis. *Actualis* eſt, cum in recitatione Horarum Canonicarum actu cogitatur, aut ad ſenſum verborum, aut ad laudandum DEUM, aut ad aliquod myſterium. *Virtualis*

alis eſt, dum quis, poſtquam cum actu-ali attentione incepit, deinde contra voluntatem diſtrahitur. *Habitualis* autem propriè non poteſt dici attentio, cum fiat tunc potius Oratio aſſvetudine quadam non cogitando de DEO dum oratio perſolvitur, mente potius ad alia voluntariè divagante.

Hôc ergo præmiſſô patet attentionem tantum habitualem infructuoſam eſſe, utpote quæ non eſt vera attentio: *Actualis* verò eſt perfecta, & ſufficit *Virtualis*. S. Thom. *in 4. ſent. diſt.* 15. *q.* 4. *ar.* 2. *ad* 4.

Q. *Ut quis non peccet, requiriturne ut Horas Canonicas dicat præfixîs ab Eccleſia horîs?*

R. Quia Sancta Mater Eccleſia plures diei horas diſtribuendo aſſignavit Horis Canonicis juxta illa verba Regii Prophetæ: *Septies in die laudem dixi tibi*, ut & DEUS laudetur, & Clerus ſatagat ſe DEO corde, & animo unire præfixis horis tam Sanctæ obſequii ſui Orationis invigilantes: Gloſſa dicit in c. *Miniſterium. de Off. Archipreſb*, teneri illos Horas Canonicas debitîs horîs etiam

priva-

privatim recitare. Maledictus enim, qui negligenter facit opera DEI.

Verùm considerenda est intentio illius qui prævenit tempus in Matutinis dicendis, vel in quibuscunque Horis Canonicis: si namq; hoc facit, ut somnolentiæ, & voluptati indulgeat, non est citra peccatum; quod si verò propter honestam occupationem, & necessitatem, sine peccato potest diferre matutinas, & in aliis Horis Canonicis tempus prævenire. S. Thom. *quodlib. ar. 28 in Corp.*

Q. *Peccatne peccato mortali non recitans Horas Canonicas destinatis horis?*

R. Ex S. Antonino talem non peccare mortaliter. Dicit enim S. Pater *p. 3. tit. 13. c. 4. §. 5. Quandocunque tardè quis dicat Officium, non videtur de se esse mortale, dummodo non transeat dies, qui quantum ad hoc videtur terminari circa mediam noctem.*

Q. *Debetne Sacerdos dicere Matutinum & Laudes ante Missæ celebrationem?*

R. Cùm recitatio Matutini, & Laudum, in Rubricis Missalis frequen-

tius replicetur, nullus securâ conscientiâ, potest illam sine rationabili causa prætermittere.

Q. *Suntne aliquæ Causæ excusantes à recitatione Horarum Canonicarum?*

R. Plærequæ 1. Impotentia, seu impossibilitas; quia nec DEUS, nec Ecclesia unquam jubent impossibilia: hinc Sacerdos mutus, aut cæcus ex aliquo morbo, aut casu factus, non tenetur dicere Horas Canonicas: nisi fors cæcus majorem partem memoria teneret, ita ut cum socio absque gravi incommodo illam posset recitare. 2. Dum quis est in tali loco, ubi Breviarium habere non potest, nec ejus defectus potest memoriâ suppleri. 3. Non tenetur quis Horas Canonicas recitare inter Hæreticos aut infideles existens si inde sibi periculum vitæ immineret. 4. Parochus, vel alius Sacerdos intentus Officiis charitatis, aut obligationis, quæ non potest, aut non debet ommittere, non tenetur dictas Horas recitare: v. g. cum necessitas exigit, ut pluribus assistat moribundis, ut lites, aut graves dissensi-

ſenſiones componat; ut Sacramenta adminiſtret in caſibus, qui moram non admittunt, nec locum recitationi Breviarii dant. 5. Poteſt quis diſpenſari ob corporis infirmitatem ſi recitando Horas Canonicas grave incommodum cogeretur pati.

Q. *Ille, qui eſt Suſpenſus aut interdictus à ſuorum Ordinum exercitio, item excommunicatus, depoſitus, vel degradatus eſtne propterea liber à dicendis Horis Canonicis?*

R. Cùm nemo debeat, neque poſſit reportare cōmodum ex delicto, propterea dictæ pænæ, & cenſuræ neminem liberant ab obligatione dicendarum Horarum Canonicarum privatim quamvis impediant, ut illas quis publicè dicat. Imoverò qui in has pænas inciderunt eo cum majori fervore adſtringuntur dictas Horas Canonicas dicere, quo major inſtat neceſſitas ſe coram DEI ſuprema Majeſtate humiliandi, & implorandi Divini Numinis auxilium cum ſincero peccatorum ſuorum dolore.

Q.

Q. *Quomodo, & ubi sunt dicendæ Horæ Canonicæ?*

R. Istæ dum in Choro dicuntur stando consveverunt dici; dum verò quis illas privatim dicit, cavere debet ne deambulando, vel aliudquid agendo hoc munus expleat; in Ecclesiam si est in contiguo se recipiat, aut domi locum aptiorem eligat, ut animo, qui deambulationibus, aut aliarum rerum operationibus solet nonnunquam dissipari, pacato spiritu, & mente in præsentia DEI sui fundat preces ab illo cælestem mercedem accepturus. Quod probè cautum & antiqua Patrũ instituta fecerunt, & Concilium Lateranense fieri commendavit.

Q. *Estne licitum prærumpere Horas Canonicas?*

R. Interrumpere Horas Canonicas certè est irreverentia DEO irrogata. Quis enim ferat colloquentem sibi averti à se, & aliud loqui ad alium, quærit *S. Aug. Psal.* 55. non sunt ergo Horis Canonicis temerè miscendi sermones, & facta aliena & quandoque

pro-

profana, quia tunc voluntariè se quis exponit periculo non attentioni ad quã tenetur, nisi fors Chrisostomus fidem non haberet, quod absit.

Modo nullus dubitabit peccare illum qui Horas Canonicas interrumpit, & peccatum illius inde pensandum venit; unde majus offendiculum esse potest adstantium, qui talem irreverentiam animadvertere facile valent.

Q. *Habens Beneficium Ecclesiasticum ratione cuius Chorum frequentare tenetur, potestnè ibi aliis cantantibus submissa voce Horas Canonicas dicere, ut suæ faciat satis obligationi eiusmodi?*

R. Ejusmodi Beneficia Ecclesiastica habentes tenentur pro modo in Choro cantare Horas Canonicas, neque suo muneri satisfaciunt solâ præsentiâ, quod fieret, dum illas dicerent submissa voce ibi existentes. Talem recitationem privatam plura Concilia prohibuerunt, uti Rhemense, Thuronense & alia.

Q. *Dicens officium non proprium pro proprio rectène facit?*

R. Omnino non rectè, sed peccat si id studio facit, quia non vult positivè satisfacere suæ obligationi eo modo, quo debet juxta Ecclesiæ præceptum committens quamdam erga DEUM irreverentiam, & contemnens aliquo modo res sacras. Secus esset dicendum, qui hoc faceret per errorẽ, talis enim non peccaret, neque teneretur ad repetitionem.

Q. *Delinquitne talis, & quomodo, qui in Choro Horas Canonicas dicit valde præcipitanter incipiens citius, & sæpius suum versum antequam alia pars suum finiverit, quod non fit sine confusione?*

R. Talis graviter peccat juxta S. Antoninum *p.* 2. *tit.* 9. *c.* 12. § 3. cui dici potest: Edissère nobis Parabolam; quia parabolicè, vel Hebraïcè loqui videtur.

Q. *Non valens intelligere singula, quæ à Choro dicuntur, obligaturne illa privatim supplere?*

R. Non dicit enim Innocentius IV. Papa *in c. Dolentes, de celebr. Miss. Clericus,*

qui

qui est in divinis Officiis, non peccat, etiamsi quod dicit, ibi non intelligat.

Sanctus verò Antoninus quoad hoc p. 2. tit. 9. c. 11. §. 3. ita habet: *Si quis lectionem vel aliud, quod in Choro legitur non intelligat propter legentis ineptitudinem, non peccat, dummodo conetur intelligere saltem verba.*

Q. *Quo situ corporali debent Horæ Canonicæ dici?*

R. Singuli, qui Horas Canonicas persolvunt in Choro, omnes ad amussim obligantur observare cæremonias juxta Rubrum præscriptas, ut nihil voluntariè omittant, quod ad decentem laudis DEI publicæ celebrationem conferre possit; quia negligentia in tam Sancto opere culpa vacare non potest.

Imô & ille qui privatim dicit dictas Horas Canonicas valde congruum est, ut quantum fieri potest, illas dicat conformando se cæremoniis præscriptîs stando, vel sedendo; aperiendo, vel operiendo caput. *Placendum enim est Divinis oculis, & habitu corporis, & modo vocis,* sunt verba S. Cypriani de orat. Dom.

Q. *Qui dixit ex aliqua rationabili causa*

Horam Canonicam sextam non dictâ adhuc tertiâ debetnè repetere sextam quando dicit Tertiam?

R. Non. Et sic de reliquis dicendum cum Theologis: imo nec hoc supplendum privatim, quod Chorus jam in minori parte dixit, antequam quis venisset ad illum, quia Chorus supplet talem defectum.

Q. *Quid denotant septem Horæ Canonicæ constitutæ ab Ecclesia?*

R. Hæ Horæ septem Canonica (ubi Matutinum cum Laudibus invicem junguntur pro una) denotant illas horas varias in quibus Salvator noster pro nobis passus est, & revocant nobis in memoriam crudelem ipsius Sacratissimã Passionem. Et quidẽ Matutinum, & Laudes adducunt in memoriã, quæ facta sunt in horto olivarum, Christiquè capturam: Prima injurias, & varia opprobria, quæ in Domo Caiphæ passus est: Tertia sententiam mortis, hâc vero similiter horâ contra Christum prolatam: Sexta ejus crucifixionem: Nona mortem, vulnusque sacro ejus late

ri inflictum!: Vesperæ depositionem de Cruce: Completorium demum sepulturam figurat. Ita Glossa *in c. Presb. de celebr. Miss. verbo septenarios.* Quæ omnia sequenti versu complectitur.

Hæc sunt septenis propterquæ psallimus horis
Matutina ligat Christũ, qui crimina purgat:
Prima replet sputis; causam dat Tertia mortis:
Sexta Cruci nectit, latus eius Nona bipartit;
Vespera deponit: tumulo Completa reponit.

Q. *Horæ Canonicæ quomodo aliter vocantur?*

R. Divinum Officium.

Q. *Is qui tenetur ad dicendas Horas Canonicas, si habeat plures voluntates illas non dicendi, committitne plura etiam peccata?*

R. Si talis præconcipiat pluries non dicendi Horas Canonicas, erit semper novum peccatum numero distinctum, ratione renovatæ voluntatis: Secus foret dicendum, quia hæc esset continuata una intentione talem actum omittendi, alias sequererur peccare eum novo peccato, qui recordaretur propositi ante habiti peccandi.

Q. *Quot numero peccata committit, qui*

una

una die omnes ſeptem Horas Canonicas ommittit?

R. Unum tantũ peccatum committit; quia præceptum recitandi Horas Canonicas eſt unum tantùm reſpiciens omnes ſeptem Horas Canonicas tamquam ſuum objectum aggregatum: alias & ille peccaret trino peccato mortali, qui omitteret Matutinum trium nocturnorum aggregatum.

Q. *Quæ quantitas requiritur ad peccatum mortale, omiſſa in recitatione Horarum Canonicarum?*

R. Pſalmus unius parvæ Horæ, ſi ſit longus, qvantitas notabilis eſt; in Matutino duo Pſalmi, ſed tamen ex longioribus, vel tres Lectiones cum ſuis Reſponſoriis. Nam defectu hujus quantitatis moraliter cenſetur non ſalvari eſſentia totius. Qnod quidem finaliter penſandum eſt judicio prudentum.

Q. *Non recitans Horas Canonicas per totam ſeptimanam quot peccata committit, vel unum ratione unius ſeptimanæ, vel ſeptem ratione ſeptem in ſeptimana dierum?*

R. Septem: Quia Horæ Canonicæ

nicæ ſunt onus ſingularum dierum, quod nefas eſt qualibet prætererire.

Q. *Quid ſentiendum de Pſalmis Pænitentialibus & Gradualibus?*

R. Ad hos non tenetur recitandos quis tantùm Chorus. Secus dicendum de Litaniis in Feſto S. Marci, & diebus Rogationum; ac Officio defunctorum novem lectionum in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, quia hæc ſunt pars obligationis, adeoque etiam privatim ſupplenda ab illis, qui tenentur ad Horas Canonicas recitandas. Officium Defunctorum poteſt pridie dici poſt lugubrem Proceſſionem ab eo, qui abeſt à Choro. *Thalu.*

Q. *Ad hoc ut quis ſatisfaciat ſuæ obligationi Horas Canonicas recitando debetne obſervare Officii qualitatem?*

R. Ad dicta ſupra f. 65. & 66. Accedunt & hæc, quod videlicet unus quiſque debeat uti ſuo Breviario, Monachus nempe Monaſtico, & Clericus Romano. Quamvis non deſint aliqui Authores Clericum ſemel in Anno poſ-

ſe

ſe D. Dominici Breviarium adhibere (Cruż apud Dianam) & Religioſum privata recitatione utentem Breviariô Romanô non committere peccatum (Portellus apud eundem) S. enim Pius V. non tangit conſvetudines privatas recitationum, ſed tantùm publicas.

Huc ſpectat quod Innocentius IV. conceſſerit Religioſis, quod hi extra Conventum ſiti poſſint dicere ſuas preces Canonicas ex Breviario alterius Religionis illô quoad omnia utendo. Quod ſi quis per errorem dicat Officium de Sancto, cum tamen ſit de feria, cum id non faciat in fraudem, ſed bonâ fide, vel ſi è contra diceret, is ſatisfacit ſuæ obligationi neque impingit in Propoſitionem damnatā ab Alexandro VIII. ord. 34. *Rotari.*

Q. *Qua voce privatim recitans debet dicere Horas Canonicas?*

R. Non tenetur illas dicere alta voce, ſed ſufficit, ut ſeipſum audiat. Verùm Bonacina cenſet ſolum motum labiorum, quo ad intra verba proferuntur eſſe ſufficientem, quamvis nec

ipſe

ipſe recitans ſeipſum audiat (huc congruenter intruditur ſurdus) hic enim vocaliter orat, & præceptum eſt ad dicendum, non ad audiendum.

Q. *A quo tempore obligatio recitandi Horas Canonicas incipit?*

R. Beneficiati a die pacificæ poſſeſſionis ſui Beneficii non niſi; & Subdiaconi, ac Religioſi Neo-Profeſſi ad reſiduas reſtantes poſt ſuam promotionem Horas Canonicas dicendas obligantur. Converſorum verò reſpectu precum, quas loco Horarum Canonicarum ſolent dicere illa eſt obligatio, quam una quæquæ Religio in ſuis Conſtitutiônibus præſcribit.

Q. *Petrus Profeſſor habens Beneficium ut Scholas doceat in Academia Cracovienſi, teneturnè ad Horas Canonicas recitandas?*

R. Cùm ſimilia Beneficia non ſint Eccleſiaſtica, hinc ſequitur, quod & dictus Petrus poſſidens Beneficium cui munus incumbit docendi Scholas, non teneatur ad recitandas Horas Canonicas. Huc ſpectat Religioſus à Papa in Caſtitate diſpenſatus, & extra in

veſte

veſte ſæculari vivens: Religioſi milites habentes commendam quamvis actu non militent: obligati tantum exiſtunt ad preces præſcriptas juxta tenorem ſuarum Conſtitutionum.

Q. *Paulus obligatus dupliciter, & vi Beneficii & vi Ordinis ad Horas Canonicas dicendas, cum illas omittit, quot peccata committit?*

R. Unum tantum; quia contra unam tantum peccat Virtutem Religionis.

SECTIO III.

DE RELIGIONE.

Q. *Quid eſt Religio?*

R. Eſt Virtus Moralis, quâ DEO reddimus cultum, obſequium, & reverentiam, quæ ipſi à nobis debentur.

Q. *Quotuplices ſunt actus Religionis?*

R. Duplices: Interiores, & exteriores, quos utrosque indicat Pſalmiſta Pſal. 83. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in DEUM vivum?*

Q. *Qui ſunt actus Interiores Religionis?*

R. Hi ſunt duo, Devotio videlicet, & Oratio. Devotio eſt, quæ efficit,

cit, ut totaliter intenti simus ad unum DEUM amandum, & ex toto corde dolendum cum fiducia in divina bonitate, & virium nostrarum diffidentia. Jã verò Oratio est quoquè actus Religionis utpote incensum DEO gratissimum in quantum se homo per illam DEO subjicit profitendo se illo indigere.

Q. *Qui sunt actus Religionis exteriores?*

R. Præcipui sunt tres. Adoratio, Sacrificium, & Votum.

Q. *Quid est Adoratio?*

R. Ex S. Damasceno de Imaginibus Or. 1. *Est animi submissi significatio*, quam DEO exhibemus exteriori corporis humiliatione indicando reverentiam, quam ejus infinitæ Majestati debemus.

Q. *Quotuplex est Adoratio? alii dicunt Cultus?*

R. Triplex: Latriæ, qui soli DEO, Hyperduliæ, qui Beatissimæ, & Duliæ, qui Sanctis debetur.

Ita divisa Adoratio potest spectari dupliciter, *absolutè* videlicet, quæ in

rigore soli tantùm DEO potest exhiberi; & latius usurpata Beatissimæ, Angelis, & Sanctis deferri: & respectivè, quæ exhibetur rebus inanimitatis, quatenus DEUM repræsentant, Beatissimam, Angelos, & Sanctos; ut absit pro tunc venerari imaginem, sed imaginatum, aut signis adhærere, sed signatis juxta Concilii Nicæni declarationē:

Effigiem Christi, quam cernis pronus honora,
Non tamen effigiem, sed quod designat adora.
Nam DEUS est, quod imago docet, sed non DEUS ipsa:
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

Q. *Operanturne Sancti, aut Imagines illorum miracula?*

R. Nec Sancti, nec Imagines eorum miracula operantur, sed ipse DEUS in hoc, aut in illo loco, per hanc, aut illam Imaginem propter merita, & intercessionem Sancti (cujus imago vel reliquia honoratur) ex abysso judiciorum suorum, & Clementia miracula operatur.

Q. *Quid est Sacrificium?*

R.

R. Sacrificium à Theologis definitum, est oblatio sensibilis soli DEO facta ad profitendum supremum ejus in omnem creaturam dominium, à legitimo Ministro rei externæ, & sensibilis peculiariter consecratæ per veram immutationem, & destructionem rei oblatæ.

Q. *Quotuplex est Sacrificium?*

R. Quadruplex: *Latreuticum*, quô agnoscimus DEI in omnes creaturas dominium: *Eucharisticum*, quod DEO offertur in gratiarum actionem pro beneficiis ab illo acceptis, quibus quotidie cumulamur indigni: *Propitiatorium*, quod DEO offertur ad ejus iram placandam, ad satisfaciendum ejus justitiæ & ad obtinendam veniam peccatorum: ac tandem *Impetratorium*, quô misericordiam DEI imploramus, ut nobis necessaria animæ, & corporis largiatur. *Plura de hoc ubi de Missa agetur infra, consimilia.*

Q. *Obligamurne ex Jure naturali DEO offerre Sacrificia?*

R. Juxta doctrinam S. Thomæ 2. 2. qu. 85. a. 2. Omnino: Sic enim Domi-

Dominis temporalibus aliqua offeruntur in recognitionem dominii, potiori jure id fieri debet DEO, tamquam supremo Domino in signum debitæ subjectionis nostræ.

Q. *Sacrificium quod modis potest considerari?*

R. Duobus: Latè, & strictè. Strictè consideratum denotat illam incruentam victimam, quæ DEO offertur in Ara sub speciebus panis, & vini: Latè autem acceptum significat omnia genera operum bonorum in honorem DEI factorum, juxta illud S. Aug. *de Civ. DEI libr.* 16. *Sacrificium est omne opus, quod agitur, ut Sancta societate inhæreamus DEO.*

Q. *Quid est Votum:*

R. Est promissio deliberata DEO facta de aliquo meliori bono. S. Thom 2.2. *qu.* 88. *a.* 1. & 2.

Q. *Quotuplex est Votum?*

R. Duplex: 1. Absolutum, & Conditionatum. 2. Reale, & personale. 3. Reale simul, & personale. 4. Simplex & solemne.

Votum absolutum est illud quod emit-

emittitur abſque ulla conditione, & tenetur illud quis quam primū implere.

Votum Conditionatum eſt illud, quod emittitur cum conditione, & non obligat, niſi illa impleta.

Votum reale eſt, dum vovetur DEO aliqua res temporalis v. g. Calix ad Eccleſiam &c.

Votum perſonale eſt, quô ſeipſū quis vovet in obſequium, aut ſuam actionem DEO: v. g. quod fiet Religioſus, aut peregrinaturus ſit Romam ad limina Apoſtolorum. &c.

Votum Reale ſimul & perſonale eſt dum quis utrumque DEO vovet & rem, & actionem ſuam v. g. Jejunaturum se feriis ſextîs per annum, & daturum elæmoſynam pauperibus decem Aureos.

Q. *Per quid differt Votum reale a perſonali?*

R. Per hoc, quia perſonale non poteſt impleri tantùm à vovente; voti autem realis obligatio tranſit ad hæredes. *c. Ex parte, de ſenſibus.*

Q. *Quid eſt Votum Solemne, & quid ſimplex?*

R.

R. Votum ſolemne eſt illud, quod ſolemnizatur per emiſſionem profeſſionis in approbata Religione, vel per receptionem Subdiaconatûs, aut alterius Ordinis Sacri: Alia quæcunque vota etiam publicè facta ſunt tantùm ſimplicia. S. Antoninus *p. 2. tit. 11. c. 8.* §. 1.

Q. *Joſephus antequam compleſſet decimũ quartum Annum, & Anna ante duodecimum* (qui ſpecificati in utroque reſpectivè ſexu completi denotant tempus pubertatis) *(& hic & illa emancipata) vovit ſe ædificaturam Eccleſiam ſuæ Patronæ; ille vero ſuo Patrono in loco Nativitatis ſuæ, rectenè ita ut obligatio debeat effectuari:*

R. Si Joſephus, & Anna propter naturæ diſpoſitionem habuerunt pro tunc dum voverunt acceleratum uſũ rationis, ob hoc dicti doli capaces, & jam etiam emancipati; potuerunt ſe obligare, & quod voverunt tenentur opere implere: Secus ſi paterentur rationis defectum, aut ſub cura parentum, vel Tutorum eſſent.

Votum ſimplex debet impleri ſub

pecca-

peccato mortali; tenet dubio ſupervenienre utrum emiſſum ſit, eſtque validum factum ex metu gravi procedente ab aliqua cauſa naturali, aut intrinſeca puta mortis propter infirmitatem; naufragii propter tempeſtatem; inferni propter cognitionem propriorum peccatorum &c. ſecus dicendum de illo, quod factum eſt ex metu gravi ab extrinſeco proveniente v. g. morte ab altero, puta patre comminata filiæ, niſi voveat ſe ingreſſuram Religionem.

Q. *Dum Petrus emiſit votum pro Paulo, obligaturnè Paulus illud implere?*

R. Solet contingere in infirmitate periculoſa quod aſſiſtentes perſonæ infirmo promittant ſub inde reſtituendum priſtinæ valetudini daturum eleemoſynam, vel ſuſcepturum peregrinationem, aut expleturum hoc, vel illud bonum opus: & tunc, ſi infirmus ratum habet, quod pro ſe vovetur, tenetur implere votum tale; ſi verò id non approbat ad nihil tenetur; quia voluntaria eſſe debent vota. Pari modo hic de Paulo dicendum.

Q. *Quomodo ista distingvuntur inter se, irritare, & commutare votum, vel super eo dispensare?*

R. Taliter: quia irritare votum sensum facit, quod votum reddatur nullum ita, ut quis teneatur illud implere, quod accidit, quoties opus est alterius consensu v. g. mariti respectu uxoris, superioris respectu Religiosi &c. Cōmutare Votū, est dum Superior non declarat votum observandum non esse, sed tantùm mutat rem voto promissam in aliam. Dispensare autem super voto, est declarare, observandum non esse; quia supervenit aliqua circumstantia, quæ votum, aut malum, aut inutile reddit; aut efficit, ut sit obstaculum, & impedimentum majoris boni. Dispensatio ergo quia supponit votum fuisse, ideo differt ab itritatione, quæ declarat observatum non fuisse quod ad voti perfectionem requirebatur.

Q. *Ad quos pertinet irritare Vota?*

R. 1. Summus Pontifex potest irritare Votum Episcopi de abdicando

Epi-

Episcopatu factum, quia hic non potest dimittere spirituale matrimonium, quod cum sua contraxit Ecclesia, nisi accedente S. Sedis authoritate. *Innocentius III. Papa* 2. Patres & Matres, ac Tutores possunt irritare vota emissa à pueris ante pubertatis annum. *Concil. Triburiense.*

Q. *Ad quem pertinet super votis dispensare, vel illa commutare in alia opera pia?*

R. Ordinariam potestatem dispensandi in omnibus dispensabilibus votis habet summus Pontifex: aliis autem inferioribus Prælatis committitur dispensatio in votis, quæ communiter fiunt, & indigent frequenti dispensatione, ut habeant de facili homines ad quos recurrant: Sicut sunt vota peregrinationum, & jejuniorum, ac aliorum hujus modi. Vota verò majora, puta continentiæ, & peregrinationis ad terram Sanctam, reservantur summo Pontifici *S. Thom. 22. qu. 82. ar. 2. ad 3.*

Sola Prælati Authoritas, sine justa, & rationabili causa non est sufficiens, ut in voto dispensetur, vel illud cōmu-

tetur; talis enim dispensatio non solùm est illicita sed & invalida.

SECTIO IV.

DE VITIIS VIRTUTI RELIGIONIS OPPOSITIS.

Q. *Quæ vitia opponuntur Virtuti Religionis?*

R. Quatuor præcipuè numerantur, videlicet: Superstitio, quæ plures habet species; Sacrilegium, impietas, & tentatio DEI.

Q. *Quid est Superstitio?*

R. Est Cultus vitiosus veri, vel falsi Numinis & fit vel per res sacras, vel per profanas, vel per utrasque simul.

Q. *Quæ sunt species Superstitionis?*

R, Sunt sequentes: Idololatria, Magia, Maleficium, Divinatio, vana Observantia, & Cultus indebitus, ac superfluus.

Idololatria est Latriæ cultus exhibitus vanis, & falsis numinibus Soli vel Lunæ, aut cuicunque Creaturæ.

Magia, est inordinata potestas à dæmone accepta faciendi, quod vires

humanas, non verò dæmonis excedit.

Maleficium, est dum auxilio dæmonis fiunt res, quibus procuratur proximo nocumentum sive in anima, sive in corpore, sive in externis ejus bonis.

Divinatio, est Consultatio dæmonis, vel Magorum, ut aliquid occultum, vel futurum sciatur S. Thom. 2. 2. *quæs*. 95. *ar*. 2.

Vana Observantia dicitur, cum quis utitur improportionatis mediis ad procurandos effectus, qui produci nequeunt, nisi per tacitum dæmonis pactum, v. g in procuranda sanitate, scientia acquirenda &c.

Cultus indebitus est Superstitio, quâ exhibetur DEO honor apparens, & falsus annunciando falsa miracula, reliquias falsas cultui exponendo, cæremoniis Mosaicis utendo significantibus Messiam venturum, qui jam venit.

Cultus superfluus est usus quarumdã rerum in cultu DEI exteriore contra morem Ecclesiæ vanarum, & inutilium, ut si quis indebitâ hora celebraret, & aliis cæremoniis; faceret plures cruces,

quam

quam fieri debent &c. Trid. *Seſſ.* 22. *in Decr. de celebr. Miſſ.*

Q. *Quotuplex eſt Magia?*

R. Triplex: Naturalis, Artificialis, & diabolica. Per *naturalem* fiunt res ſtupendæ & extraordinariæ, ſed ſolis naturæ viribus. *Artificialis* miros etiam producit effectus ſed per induſtriam humanam. Per *diabolicam* producuntur effectus ultra naturæ vires, vel etiam artis, dæmone cooperante, adeoque illicita.

Q. *Quid eſt Sacrilegium?*

R. Eſt violatio rei ſacræ.

Q. *Quotuplex eſt Sacrilegium?*

R. Triplex: juxta triplicem ſpeciem rei ſacræ, quæ eſt triplex: Perſona, ut Clericus, vel Religioſus; Locus in cultum DEI deputatus, ut Eccleſia, Cæmeterium, & res DEO dicatæ, ut vaſa Sacra &c. Juxta quam diviſionem aliud eſt *Perſonale*, quando perſona DEO dicata injurioſa injectione manuum læditur, vel per actionem veneream violatur. *Reale*, quando res ſacra profanatur: & aliud denique *Locale*, quando Locus

Sacer

Sacer externo notorio delicto injuriatur, & violatur, v. g. equorum ibi collocatione stabulataria; mutilatione, aut occisione alicujus, injuriosa sangvinis effusione; sepultura excommunicati notorii, aut infidelis, vel peccató carnali ibidem notoriè commissô.

Q. *Quid est Impietas?*

R. Est violatio DEI honoris, & venerationis quæ illi debetur tamquam supremo Domino.

Q. *Quid est Tentatio DEI?*

R. Est dictum, vel factum, quô quis absque justa causa vult capere experimentum de aliqua DEI perfectione.

Q. *Quotuplex est Tentatio DEI?*

R. Duplex: Expressa, & interpretativa, *Expressa* est, quando quis directè intendit capere experimentum de aliqua perfectione DEI v. g. præcipitando se ex turri, ut illum DEUS salvet. *Interpretativa* tunc habetur, estque, quando quis non intendit quidem explicitè tale experimentū de Divina perfectione, facit tamen aliquid, quod ex se requirit extraordinarium Auxilium

DEI, illudque temerè expectat v. g. si quis per tempus Quadragesimæ totius; exempló Christi permotus ab omni commestione, & potu vellet abstinere persvasus DEUM sibi præbiturũ vires.

Q. *Quale peccatum est Tentatio DEI?*

R. Est ex natura sua mortale, quia magna censetur injuria, quod vilis creatura præsumat DEUM leges Providentiæ suæ ad nutũ illius immutaturũ,

SECTIO V.

DE SIMONIA.

Q. *Simonia unde suum nomen trahit?*

R. A Simone Mago, qui videns Apostolos mira in populis operantes; virtute Divina hanc voluit ab illis pecuniâ emere ad similia patranda. *Actor* 8

Q. *Quid est Simonia?*

R. Est Studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum; puta proventus temporales officio Beneficiarii, redditus Monasterii, Professioni Religiosæ.

Q. *Quotupliciter temporale potest esse annexum Spirituali?*

R. Tripliciter: Antecedenter, Concomitanter, & conſequenter. *Antecedenter* illud cenſetur annexum cui accedit ſpirituale ut fundus cui accedit jus Patronatûs quod eſt quid ſpirituale, qui cum ſit prior re ſpirituali, licitè & vendi, & emi poteſt. *Concomitanter* annexa ſunt in duplici differentia: Al a extrinſeca functioni ſacræ, ùt celebratio in loco remoto circa meridiem plane, adeoque tempore incommodo: alia intrinſeca, ut labor, & fatigatio in obeunda ipſa functione Sacra. Annexa prioris differentiæ vendi poſſunt, quia nihil in ſe continent ſpirituale, & ſunt pretio æſtimabilia. Annexa autem differentiæ poſterioris vendi non poſſunt, quia ſunt idem cũ ipſa ſacra functione.

Conſequenter Annexa ſunt illa, quæ ex ſpirituali pendent tamquam à ſua cauſa morali, ut proventus Beneficii ab Officio divino, ratione cujus dantur; jus fruendi poſſeſſionibus bonorum Monaſterii à profeſſione emiſſa, quæ in illo DEO nuncupatur. Et hæc nullatenus vendi poſſunt aut emi.

Q.

Q. *Quotuplex est illud munus quô committitur Simonia?*

R. Triplex: Munus à manu, munus à lingva, & munus ab obsequio. Per primum intelligitur pecunia: Per secundum, laus, intercessio &c. Per tertium, servitium aliquod.

Q. *Quale peccatum est Simonia?*

R. Est peccatum mortale, Species Sacrilegii etiam in materia levi. Patet hoc tū ex illis verbis Act. 8. Sacræ Scripturæ: *Pecunia tua tecum sit in perditionem* (quod de peccato veniali non diceretur) *quoniam existimasti donum DEI pecuniâ possideri:* tum ex gravissimis pœnis Simoniacorum, quæ supponunt grave peccatum.

Q. *Quotuplex est Simonia?*

R. 1. Duplex: Juris Divini, & Ecclesiastici. *Juris Divini* est illa, qua venditur res verè spiritualis pro temporali. v. g. administratio Sacramentorum, Jus Patronatûs, Collatio Beneficiorum &c. *Juris Ecclesiastici* autem est qua paciscitur de permutatione Beneficiorum

pro-

propria authoritate; Chriſmate vendendo &c.

R. 2. Triplex eſt iterum Simonia. Mentalis, Conventionalis, & Realis. *Mentalis* eſt traditio rei temporalis pro ſpirituali, aut ſpiritualis pro temporali nullo interveniente pactô exteriori propoſito internè ocultatô, quo hæc agitur, qualem Simoniam committeret, offerens pretium Petrus Patrono ad Beneficium præſendandus de ſua tali intentione illicita minimè conſcio.

Simonia *Conventionalis* eſt emptio, vel venditio rei Spiritualis pro tẽporali traditione imperfecta, ita videlicet, quod conſenſus ſit ab utraque parte, nondum tamen effectuatus.

Simonia *Realis* eſt emptio, vel venditio rei Spiritualis traditione ab utraque parte effectuata, juxta conventionem, dum & res Sacra ab emptore accipitur, & pecunia pro illa ſaltem in aliqua parte datur. venditori.

Huc ſpectat *Simonia Confidentionalis* quâ quis ex pacto tacito, vel ex preſſo

con-

confidit alterum cui Beneficium confert, vel procurat, sibi postea vel suo fratri, aut amico suo cessurum per resignationem; vel fructus ejus sive in toto, sive in parte concessurum, hacque ratione Beneficium confertur, aut procuratur.

Q. *Quotupliciter consideranda pœna Simoniacorum?*

R. Dupliciter: Primò ùt effectus purè naturales illius: Secundò ùt inflictæ ab Ecclesia, quæ tam magno facinori blandiri non potest.

Q. *Quid necessario sequitur ex Conventione Simoniaca?*

R. Obligatio dimittendi simoniacè acceptum, & accepti pretium; quia conventio est nulla, adeoque nullum tribuit jus accipiendi nec titulum retinendi: Et restitutio rei Simoniacè acceptæ facienda est illi à quo fuit accepta, Si bona fide dedit, sin secus, pauperibus distribuenda juxta S. Thom. 2. 2. *qu.* 32. *a.* 7. & hæc est prima Simoniacorum pæna propriè dicta.

Secundò incurrunt excommunicatio-

tionem Simoniaci 1. in ingressu Religionis, Conventus verò Suspensionem. *Extrav. Sanc. tit. de Simo.* 2. In Ordinatione *Extravag. Cum detestabile, tit. de Simon.* 3. In materia beneficiali. cit. Extrav. Cum detestabile.

Insuper Simoniacè ordinatus suspensus est ab executione Ordinum maximè, quem Simoniacè suscepit. Beneficiarius verò inhabilis ad idem Beneficium efficitur, quod Simoniacè contulit, vel recipit, nisi secum dispensetur.

SECTIO V.

DE JURAMENTO.

Q. *Quid est Juramentum?*

R. Est Contestatio Divini Nominis ad fidem vel promissionem confirmandam.

Q. *Quotuplex est Juramentum?*

R. Triplex: Assertorium, Promissorium, & execratorium. Per *Assertorium* præsens vel præterita veritas ita, & non aliter se habere asseritur: Per *Promissorium* firmatur promissio præstanda:

Per

Per *execratorium* DEUS in testem simul & vindicem advocatur.

Q. *Juramenta suntnè licita?*

R. Sunt licita ubi adest necessitas, & aliæ conditiones ad hoc requisitæ. Ipse enim Ppilosophus 1. Metaph. Juramentum honorabilissimum vocat.

Q. *Quot, & quæ conditiones requiruntur ad hoc, ut Juramentum sit licitum?*

R. Tres: 1. Ut id judicetur prudenter, esse verum de quo juratur. 2. Ut juretur de re licita. 3. Ut Divinum Nomen non assumatur temerè, sed ex necessitate, & cum honore.

Q. *Quod modis Juraretur contra veritatem?*

R. Tribus: 1. Si jurans affirmaret tamquam verum, quod putat esse falsum, aut saltem de quo habet certitudinem evidentem. 2. Si promitteret, aut minaretur, quod implere, aut facere non intendit. 3. Si promissis juramentô firmatis non staret absque justa causa.

Q. *Quot, & quæ sunt causæ excusantes ab impletione Juramenti promissorii?*

R.

R. Quinque, 1. Si juramentum in principio fuit nullum, puta factum per errorem. 2. Rei notabilis mutatio, dum virgo defloratur cui juratum fuit Matrimonium 3. Condonatio in cujus favorem factum fuit juramentum. 4. Irritatio potestatem habentis in jurantem, ut Superior in Religiosum, maritus in uxorem &c. 5 Dispensatio, aut Commutatio. *Vide dicta de Voto supra f. 83.*

Q. *Petrus Juramentô promissas usuras tenetuyne solvere?*

R. Tenetur; hoc enim per se malum non est. Ita Alexander III. *Cap. Debitores. de Jureiurando.*

Q. *Propter metum exilii, infamiæ, aut ipsius etiam mortis certò secuturæ, licetnè falsè iurare?*

R. Nullatenus: contra quem errorem gravem animadvertit acriter S. Aug. l. 2. *de mend. cap.* 18. & in similibus ac hujusmodi amphibologias, æquivocationes, & restrictiones mentales omnino illicitas esse docent celeberrimæ Scholæ.

Q.

Q. *Poteſtne fieri, ut periurium in materia levi excuſetur à mortali?*

R. Non: quia ex ſua ratione importat contemptū DEI, dum in teſtem falſitatis adducitur. Hinc perjurii convicti incurrunt infamiam. *Cap. Infames Cauſa 6. q. 1.*

Sola tantùm invincibilis inadvertentia, excuſat à perjurio, quæ ſi acciderit etiam in materia gravi, non erit peccatum lethale.

Q. *Eſtne grave peccatum dum quis iurat abſque neceſſitate?*

R. Secluſô contemptu, ſcandalô, & periculô peierandi, eſt tantùm veniale; quia non cenſetur adeo grave quid irreverentiæ nomen Divinum adhibere abſque neceſſitate ut id, quod honeſtum eſt, verum confirmetur.

Q. *Quod ſi verò quis iuret ſine iuſtitia qualenam talis committit peccatum?*

R. 1. Quamvis non habeat animum, jurat tamen quis ſe facturum id quod lege prohibetur, perjurium committit, & mortale peccatum: is verò jurans habet animum facturum ſe id

quod

quod non licet, duplex peccatum committit; 1. quia vult id, quod non licet e. g. Petrum infamare 2. quia irreverentiam DEO irrogat adducendo illum in testem rei prohibitæ.

Q. *Quale quoque peccatum committit qui iurat se facturum rem sub veniali prohibitam?*

R. Valde grave, sed non excedens metam venialis; excederet autem si adhiberentur in tali juramento, quæ blasphemiam sonant, videlicet si juratur per viscera JESU Christi, ejus vulnera &c.

SECTIO VII.

DE BLASPHEMIA.

Q. *Quid est Blasphemia?*

R. Est Contumeliosa in DEUM locutio, & ut cum Augustino l. 2. de moribus Manicheorum loquamur cap. 12. *Blasphemia non accipitur,, nisi mala verba de DEO dicere.*

Q. *Quotuplex est Blasphemia?*

R. Triplex: Enunciativa, Imprecativa, & Dehonestativa. Per *Enunciativam* aliquid contumeliosè affirmatur

de DEO vel negatur, puta injustitia, crudelitas impietas &c. vel ab eo aufertur, quod illi competit, omnipotentia v. g. Sapientia &c. Et talis blasphemia dicitur hæreticalis ex adjuncta hæresi quam habet maleolentem.

Imprecativâ blasphemiâ malum DEO desideratur more damnatorum, & qui de salute desperant.

Dehonestativa demùm *blasphemia* est, dum ennunciatur aliquid existens in DEO, sed indecenter, & per modum contumeliæ, ut olim Julianus Apostata fecit ore blasphemo effutiendo *Vicisti Galilæe!* Ejusmodi sunt eorum, qui indignabundi pronunciant vulnera Sanguinem &c. JESU Christi.

Q. *Quale est peccatum blasphemia?*

R. Mortale, & quidem gravissimum; quia falsa de DEO dicuntur. Aug. de mend. cap. 19.

SECTIO VIII.

DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

Q. *Quid est Immunitas Ecclesiastica?*

R. Est Asyllum quoddam reis ad

se

ſe confugientibus præbens protectionem.

Q. *Quæ ſunt loca aſyllorum?*

R. Eccleſiæ Cemetaria, Monaſteria, portæ, horti intra ſepta Monaſterii, Palatia Epiſcoporum, & Cardinalium, Oratoria publica authoritate Epiſcopi conſecrata, & Reſidentiæ plebanales ultra triginta paſſus ab Eccleſia non diſtantes.

Q: *Qui ſunt, qui gaudent Immunitate Eccleſiaſtica?*

R. Gaudent omnes præter illos quos Jus ex mit, & tales ſunt: Publici latrones; viarum graſſatores; depopulatores agrorum, committentes homicidia, vel mutilationes in Eccleſiis, aut e rum Cemeteriis; proditoriè hominem occidentes; Aſſaſſinii re ; rei hæreſis; rei criminis læſæ Majeſtatis; in Perſonam Principis. Ita Greg. XIV. Quibus accedunt in Bulla Benedicti XIII. memorati ſuntque ſequentes:

1. Exiſtens in Eccleſia, alterum extra Eccleſiam verſantem occidens. 2. Qui etiam unica vice qua latro occi-

dit, vel mutilavit. 3. Falsificatores literarum Apostolicarum. 4. Conflantes, adulterantes, aut tondentes quascunque monetas, vel tales expendere præsumentes. 5. Ministri Montis Pietatis, sive alterius publici Telonii, Banci, furtum, aut falsitatem in prædictis locis committentes. 6. Qui Asyllantes ab Ecclesia violenter extrahunt. 7. Mandantes quoque homicidium Assassinii. 8. Proximum animô præmeditatô occidentes.

SECTIO IX.

DE GRATIA.

Q. *Quid est Gratia?*

R. Est donum DEI gratuitum supernaturale cælitus homini lapso datum per merita Christi ad vitam æternam consequendam.

Q. *Quotuplex est Gratia?*

R. Duplex: Gratia gratis data, & Gratia gratum faciens. *Prima* est, quæ datur propter aliorum salutem v. g. donum potestatis faciendi miracula, alios sanandi &c. *Secunda* datur propter ipsū,

cui

cui datur ad vitam æternã consequen-dam. Et talis est Fides, Spes &c.

Q. *Quotuplex est gratia gratum faciens?*

R. Duplex: Actualis & habitualis. *Actualis* est illustratio supernaturalis in intellectu, & pia affectio æque supernaturalis in voluntate. *Habitualis.* est donum DEI animæ permanenter inhærens, & illam per modum habitûs perficiens, ut gratia sanctificans.

Q. *Quomodo gratia habitualis dividitur?*

R. In gratiam Sanctificantem, Virtutes infusas, & dona Spiritus Sancti, quâ ratione est triplex.

Q. *Quotuplex est gratia Actualis?*

R. Triplex: Præveniens, adjuvans, & subsequens. *Primâ* homo excitatur, ut ad DEUM convertatur. *Secundâ* præstat auxilium ad illa facienda, quæ pertinent ad talem conversionem. *Tertia* firmat voluntatem, ut in tali conversione perseveret.

Q. *Quomodo dividitur gratia Præveniens?*

R. Dividitur in illam, quæ dicitur efficax, & in illã, quæ dicitur sufficiens.

Q. *Quid est gratia efficax?*

R.

R. Est Actuale DEI auxilium, quô voluntas actu vult & operatur bonū infallibiliter, & insuperabiliter, liberè tamen, & non necessariò (*S. Aug. lib. de cor. & Grat. Cap.* 12) quia potest tali motioni resistere, non tamen à concupiscentia, & dæmone superari, qui est cardo contra Jansenium.

Q. *Daturnè gratia efficax?*

R. Datur, juxta illud Ezech. 36. 26. & 27. *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Et plura pro hac parte reperiuntur in S. Scriptura.

Porro hæc gratia efficax est duplex: *alia* quâ quis bona agit ad vitam æternam adipiscendam conducentia: & *alia* quâ in bene ceptis firmiter, & constanter perseverat, quæ & à San: Augustino dicitur *libr. de dono persev. cap.* 1. *Donum DEI, quô perseveratur usque in finem in Christo.*

Q. *Quid est gratia sufficiens?*

R. Est DEI auxilium, quô voluntas potens redditur proximè, & comple-

pletè tam ad operationem, quàm ad obtentionem illius sine quo agere non posset, esto subinde contingat eam nolle obedire resistendo.

Q. *Quomodo aliter vocatur gratia habitualis?*

R. 1. Vocatur gratia justificans; quia per illam peccator fit formaliter justus. 2. Vocatur gratia Sanctificans; quia formalis illius effectus est reddere hominem Sanctum. 3. Vocatur *Adoptio.* Rom. 8, 15. *Accepisti Spiritum adoptionis.* 4. Charitas; quia est formalis unio cū DEO.

Q. *Quid est gratia Sanctificans?*

R. Est supernaturale donū DEI intrinsecus inhærens per modum habitûs, quô homo formaliter redditur justus, Sanctus, DEO charus, & gratus, Filius DEI adoptivus, & hæres vitæ æternæ.

Q. *Qui sunt effectus gratiæ?*

R. Justificatio, & meritum bonorum operum.

SECTIO

SECTIO X.

DE JUSTIFICATIONE.

Q. *Quid denotat Justificatio?*

R. Juxta Concil. Trid. *seß. 6. cap. 4.* Denotat translationem à statu peccati ad statum gratiæ, & adoptionis filiorum DEI.

Q. *Dum peccator Justificatur, quid in illo magis præcipuum considerari potest, expulsione peccati, vel gratiæ infusio?*

R. Juxta doctrinam S. Thomæ qu. 113. a. 1. Infusio gratiæ, sicut in infirmo sanitas, quæ prius intenditur in hoc sanando, quàm expulsio morbi.

Q. *Poteſtnè inter maxima DEI opera Justificatio peccatoris connumerari?*

R. Post illud opus Theandricũ, quô DEUS assumpsit naturam humanam, ut in illa patiatur, & redimat genus humanum, omnino & potest, & debet inter maxima DEI opera; justificatio peccatoris connumerari; quia, ut inquit S. Thom. l. c. a. 9. *Terminatur ad bonum æternum divinæ participationis.*

Q.

Q. *Poteſtnè miraculum dici, dum peccator iuſtificatur?*

R. Si contigat hoc ultra conſvetum, & uſitatum gratiæ operandi modum, præſcriptum, & ordinem, dum v. g. adultus abſque requiſitis diſpoſitionibus inſperatè in amicum, & adoptivum filium DEI aſſumitur, prout factum eſt cum Paulo, & Latrone, omnino poteſt dici, eſtque re ipſa miraculũ; quia ad verum miraculum hæc duo requiruntur; ut & opus excedat naturæ vires, & ſit rarum, quod hic utrumque adeſſet ex ſupoſito quod quis tali modo ſit juſtificatus.

SECTIO XI.

DE MERITO.

Q. *Bona noſtra opera ſuntnè meritoria?*

R. Sunt omnino meritoria; ita enim definivit Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 32. Contra Lutherum, & Calvinum.

Q. *Quid eſt meritum??*

R. Eſt actus laudabilis exigens aliquo modo collationem præmii.

Q. *Quotuplex eſt meritum?*

R. Duplex: de condigno, & de congruo. *Meritum de condigno* eſt opus bonum ab homine juſto factũ pro quo DEUS mercedem promiſit ſecundum illius condignitatem, & æqualitem ad mercedem, juxta illud Sap. 3. *DEUS tentavit eos, & invenit illos dignos ſe.* *Meritum* autem *de congruo* eſt tantùm ſecundùm quid meritum, cui videlicet non adeſt condignitas, & æqualitas ad mercedẽ, ſed tantùm congruentia movens liberalitatem illam conferentis.

Q. *Suntnè igitur neceſſaria ad ſalutem æternam adipiſcendam Bona opera de condigno meritoria?*

R. Sunt omnino: *Carere enim meritis* (ait Bernardus ſerm. 68. in Cant.) *ſatis ad iudicandum eſt.*

Q. *Ad hoc ut quis mereatur de condigno, requiriturnè, quod agat opus non præceptum, ſed ſupererogatorium?*

R. Non. Servantibus enim mandata, & facientibus ea vita æterna promittitur, qui hoc pacto diligunt DEUM.

Q. *Quid meremur, & mereri poſſumus de condigno?*

R.

R. Vitam æternam, & augmentum gratiæ Sanctificantis. *Trid. l. c.*

Q. *Quid requiritur ad meritum de congruo?*

R. Hæc requiruntur: 1. Ut opus sit bonum. 2. Ut sit supernaturale. 3. Ut liberè eliciatur. 4. Ut ab homine Viatore fiat. Quæ quidem conditiones & ad meritum de condigno requiruntur.

Q. *Poteſtnè fieri, ut opus, infallibiliter ſequatur meritum de congruo?*

R. Poteſt, niſi ponatur ex parte operantis obſtaculũ; motio enim Spiritus Sancti fruſtranea eſſe non poteſt, ſed ſemper ſuum finem conſequitur.

Q. *Quænam ſunt illa, quæ poſſunt de congruo mereri?*

R. 1. Gratiæ efficaces, & donum perſeverantiæ in bono. 2. Bona temporalia inquantum ſunt ordinata ad noſtræ animæ ſalutem, aut proximi.

SECTIO XII.

DE ACTIBUS HUMANIS.

Q. *Quid eſt actus humanus?*

R. Secundum S. Thomam 1. 2. *qu.* 1. *a.* 1. Est actus, qui à voluntate hominis deliberate procedit.

Q. *Quotuplex est actus humanus?*

R. Duplex: Elicitus, & imperatus. *Elicitus* est, qui immediatè à voluntate procedit; ut amor volitio &c. *Imperatus*, qui tantùm mediate (ut cognitio, deambulatio) à voluntate procedit aliis mediantibus potentiis, puta cognitio mediante intellectu, deambulatio verò mediante potentia loco motrice; non exeunt tamen ab illis, nisi à voluntate imperentur.

Q. *Quæ sunt constitutiva essentialia Actus humani?*

R. Ista tria, Voluntarium, liberum, & morale.

Q. *Quid est Voluntarium?*

R. Est effectus principii interni cognoscentis requisita ad actionem. Agens enim à quo procedit actio voluntaria, debet cognoscere illa, in quibus, & circa quæ ejus actio versatur, quæ necesse, ut procedat à principio intrinseco, & non extrinseco, alias violentum

lentum posset esse alicui voluntarium.

Q. *Quid est liberum, & quid morale?*

R. Liberum est, quod fit absque coactione: Morale verò quod pertinet ad lineam morum.

Q. *Quid est ignorantia, & quotuplex?*

R. Est carentia notitiæ alicujus rei, & est duplex: Juris, & facti: Vincibilis, & invincibilis, *Ignorantia Juris*, est carentia notitiæ legis aliquid prohibentis v. g. lusum sortilegiorum esse illicitum: *Ignorantia* autem *facti*, est carentia notitiæ actus prohibiti, v. g. actualem lusum sortilegiorum esse peccaminosũ, *Vincibilis* est quæ adhibitâ diligentiá vinci potest, & debet; *Invincibilis* verò quæ adhibita, vinci non potest, diligentia, propter impotentiam, vel quia non obligatur quis ad id faciendum.

Q. *Quotuplex est Ignorantia vincibilis?*

Duplex: Affectata quâ quis ignorare affectat legem, ut liberius contra illam agat: & Crassa, quâ quis non positivè affectat quidem ignorare legem, non adhibet tamen quam deberet diligentiam requisitam, ut illam sciat.

Q.

Q. *Ignorantia Vincibilis tollitnè Voluntarium?*

R. Affectata non modo non tollit, sed & magis auget voluntarium, & peccatum (S. Thom. 1. 2. *qu*. 76. *a*. 4.) & majori periculo æternæ damnationi exponit, quia plerumque conjungitur impænitentiæ finali. *Ignorantia* autem *crassa* etiam non tollit voluntarium, sed tantùm illud minuit, & peccatum cùm procedat à principio minus cognoscente. *Qui* enim *non cognovit, & fecit digna plagis vapulabit paucis*. Luc. 12.

Q. *Ignorantia invincibilis estnè peccati obnoxia?*

R. Non cujuscunque illa juris sit, aut facti; quia excludit omne penitus voluntarium.

Q. *Actus humani unde desumunt suam bonitatem, vel malitiam?*

R. Ab objecto; quia ab illo suam formam, & speciem accipiunt in tantum, ut si illud sit bonum, aut malum, actus æquè erit bonus, aut malus.

Objectum porro cum sit duplex materiale, & formale, *Materiale* circa

quod

quod actio occupatur, ut v. g. miseria pauperis misericordiæ; *formale* autem, est ratio tendentiæ in objectum materiale, ut sublevatio pauperis misericordiæ quæ respicit pauperem, ut illum sublevet; hinc ab utroq; desumunt suã bonitatem, aut malitiam actus humani; præcipuè tamen à formali, quia illud præsertim reddit actum voluntarium, utpotè ratio propter quam actus fit.

SECTIO XIII.

DE CONSCIENTIA.

Q. *Quid, & quotuplex est Conscientia?*

R. Est Judicium practicum particulare ordinatum ad operationem ab aliquo sive faciendam rem, ùt bonam; sive omittendam, ùt malam. Estque quintuplex: Recta, Erronea, Dubia, Probabilis, & Scrupulosa. *Conscientia recta* est, dum prudenter judicatur actio, quæ est bona, esse bona, & quæ est mala esse mala. *Conscientia erronea* est, quæ imprudenter determinatè judicat bonum malũ esse, & malũ è contra bonũ. *Dubia* est, quæ inter utramque partem anceps

hæret

hæret neutri determinatum præbendo assensum. *Probabilis* est, quæ non ex levibus rationibus, vel Doctorum Authoritate præbet assensum uni parti, sed cum formidine de opposito *Scrupulosa* est, quæ ex rationibus levibus judicat rem bonam esse malam.

Q. *Licetnè agere contra Conscientiam rectam?*

R. Non: quia est regula proxima voluntatis creatæ in ordine ad bene agendum participata à lege DEI æterna, quæ est prima regula omnium actionū humanarum juxta illud: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Psal. 4. 7.

Q. *Licetnè operari contra Conscientiam erroneam?*

R. Si Conscientia est inculpabiliter erronea operans contra illam, rem facit illicitam, quia est determinatus ad malum faciendum quod invincibiliter putat esse tale v. g. non mentiri cum agitur de fama proximi, esse peccatum, & cæteroquin mentiri non vult: ubi patet quod malè affectus sit legi, & DEO, quem mavult potius offen-

fendere, quam mendacium committere; sicque peccat, & facit rem illicitam.

Q. *Peccaturnè tunc, dum quis erroneè putat aliquid esse præceptum sub mortali, quod à potiori est favor, & nulla prohibitum lege?*

R. Peccatur: quo casu peccat non jejunando, qui putat se teneri jejunare ante vigesimũ primũ annũ, vel sexagesimô completô: Objectũ enim juxta Scholasticos ex Doctore Angelico, cognitum specificat actum voluntatis, non ut est tale in se, sed ut proponitur ab intellectu: Quia igitur conscientia erronea proponit rem nulla lege prohibitam, imo a potiori favorem, tamquam malam, & præceptam, hinc illa actio seu res erit mala, & peccaminosa, ut patet in casu adducto.

Q. *Quid, & quotuplex est dubium?*

R. Est suspensio assensus circa objectũ apprehensum, illud, neque bonũ, neque malum determinatè judicando. Et est duplex: aliud *speculativum* quo quis dubitat in Universali seu genericè de bonitate, vel malitia objecti, puta an licitum sit tendiculas pro feris facere,

& retia extendere die Festivo: Et aliud *practicum*, quô quis in particulari, & in specie dubitat an hodie die Dominico liceat instituere venationem clamorosam? omittere sacrum &c. Adeoque conscientia *speculativè dubia* est, quæ in genere dubitat de aliqua veritate; *practicè dubia* circa actionem ponendam hic & nunc perplexa manet.

Q. *Licetnè operari cum conscientia practicè dubia?*

R. Non licet. Hinc dubitans an licitum sit hodie carnes manducare, illas maducare licitè non potest, donec dubium deponat, & de liceitate actionis judicium formet determinatum.

Q. *Licetnè cum conscientia speculativè dubia operari?*

R. Licet, si practicè judicetur opus hic, & nunc illud esse licitum: v.g. Si Petrus dubitat an hodie sit jejunium, & adhibita morali diligentia rescire non potest, potest se practicè resolvere; quod non teneatur hodie jejunare, quia est possessio in illius libertate. Secus foret dicendum si dubitaret utrum ex

die

die Sabbathi in diem Dominicū transacta ſit media nox; tunc enim teneretur ad abſtinendum à carnibus; quia in tali caſu præceptum eſſet in poſſeſſione.

Q. *In dubio exiſtens diligenti examine facto non valens ſe reſolvere, quam partem tenetur ſequi, an illam quæ favet præcepto; vel verò quæ libertati?*

R. Dum eſt æquale dubium, & ille ſit in poſſeſſione libertatis, licitè eligit partē, quæ favet libertati. Dū verò præceptum eſt in poſſeſſione, obligatur eligere partem, quæ favet præcepto juxta axioma vulgatum: *Melior eſt conditio poſſidentis.*

Q. *In quibus caſibus non eſt licitum ſequi opinionem probabilem relicta probabiliori?*

R. Judici in condemnando reo; Medico in ægroto ſanando; Sacerdoti, dum agitur de valore Sacramentorum. Hi enim ſub mortali peccato tenentur ſequi opinionem probabiliorem, relictâ probabili.

Q. *Poteſtnè qui ſcrupuloſus eſt agere contra conſcientiam ſcrupuloſam?*

R. Et poteſt, & debet juxta Judicium prudentis Confeſſarii: Dictamen enim conſcientiæ ſcrupuloſæ, cùm moveatur ex levibus, & inſufficientibus fundamentis, non poteſt eſſe regula prudenter operandi. Hinc non eſt habendum, pro mortali niſi certò, & evidenter conſtet eſſe tale, aut jurari poſſet eſſe mortale *ità DD. communiter.*

SECTIO XIV.

DE LEGIBUS.

Q. *Quid eſt Lex?*

R. Eſt regula actuum ſtabilis ad bonum publicum promulgata ab habente curam Communitatis cum intentione obligandi ſibi ſubditos.

Q. *Inducitnè quælibet lex obligationem in conſcientia, & ſub reatu peccati?*

R. Inducit, & quidem ſubinde etiam peccati mortalis: Lex enim naturalis, & Divina, dum violatur, ſemper eſt DEI offenſa: qui verò humanæ ſive Eccleſiaſticæ ſive civili refractarii reſiſtunt poteſtati, DEI ordinationi reſiſtunt,

ftunt, & fibi ipfis damnationem acquirunt juxta illud Pauli Rom. 13.

Q. *Unde poteſt conſtare, quod lex aliqua obliget ſub reatu peccati mortalis?*

R. Ex voluntate Legiſlatoris, quæ ſemper ea expetit magis ſervari, quæ ſunt graviora, ac proinde magis offenditur, ſi negligi illa contingat.

Q. *Eſtne neceſſarium ad vim obligativam legis, ut hæc à Subditis acceptetur?*

R. Non: quia hinc ſequeretur, quod poteſtas legiſlativa æque ſit penes ſubditos, quàm penes Superiorem, quod eſt damnatum ab Eccleſia 1700. per Alexandrum VII.

Q. *Quomodo lex dividitur?*

R. Dividitur in æternam, naturalem, & poſitivam. Poſitiva dividitur in Divinam, & humanam. Rurſus poſitiva Divina ſubdividitur in veterem, quæ dici ſolet Moſaica, & novam ſeu Evangelicam. Ac præterea lex humana poſitiva duplex eſt, altera Eccleſiaſtica, & Canonica; altera Civilis politica.

Lex æterna, eſt ſumma ratio, ſecundum Auguſtinum libr. 1. de liber arbitr.

bitr. c. 6. juxta quam à DEO cuncta reguntur, & gubernantur.

Lex naturalis, est quidam radius legis æternæ infusus singulorum pectoribus dictans quid agendum sit, aut fugiendum.

Lex positiva, est quid superaditum legi naturali in tempore ex libera DEI omnipotentis voluntate, seu clarius: Est quam DEUS in tempore tulit, velut supremus Legislator.

Lex positiva Divina est quæ DEUM habet authorem; *humana positiva*, quæ hominem; *Vetus*, quæ à DEO pro veteri Testamento fuit condita, & per Moysen populo Israëlitico promulgata: *Nova* quam Christus Dominus per Evangelium instituit, ac per Sanctos Apostolos per totum mundum promulgavit. *Vetus* seu *Mosaica* dicitur etiam scripta, quia in tabulis lapideis digitô DEI fuit exarata: *Nova* verò dicitur gratiæ, quia non atramentô, sed Spiritu DEI vivi in cordibus est inserta, qui eam receperunt.

Lex humana positiva Ecclesiastica, & Canonica

nonica est, quæ procedit à potestate Ecclesiastica: *Lex verò humana positiva Civilis, & politica* est, quam fert Supremus Princeps, Senatus, vel Magistratus.

Q. *Qua ratione Lex naturalis differt à lege positiva tam Divina. quam humana?*

R. Jlla 1. quia lex naturalis nihil præscribit quod quisque in corde suo legere non posset v. g. quod DEUS sit colendus, parentes honorandi &c. lex verò positiva ordinat, quæ ratio naturalis non dictaret observanda v. g. Baptismum suscipiendū, carnibus die veneris non vescendum 2. Præcepta legis naturalis necessaria sunt, nec pendent à libera DEI, aut cujusvis Legislatoris voluntate; præcepta verò legis positivæ sunt merè arbitraria. DEUS enim nec prohibere potest v. g. justitiam, religionem, pietatem erga parentes, nec imperare mendacium, adulterium, odium proximi &c. hæc siquidem repugnant naturæ tum divinæ tum humanæ, sed liberū illi fuit præcipere circumcisionem, esum Agni Paschalis, quæ sunt legis positivæ, & ea-

dem

dem deinde in lege nova prohibere. 3. Quia quæ prohibentur lege naturali sunt per se mala, & ideo prohibita, ut mendacium &c. quæ verò positiva interdicuntur ideo sunt mala, quia prohibita.

Q. *Lex humana debetnè se extendere ita, ut omnia vitia prohibeat?*

R. Non: quia sic non ordinaretur ad bonum commune, tali modo observatu difficilis. In societate enim humana plures inveniuntur infirmi quam sani; quæ autem possibilia sunt sanis, infirmis redduntur moraliter impossibila. Qua ratione multiplicarentur transgressiones, & Cives evaderent pejores. cum tamen legis sit officium illos efficere bonos. S. Thom. *qu.* 96. *art.* 2.

Q. *Quot modis Lex humana potest cessare?*

R. Quatuor: 1. Per revocationem, aut aliam legem contrariam. 2. Per privilegium. 3. Per dispensationē. 4. Per consvetudinem.

Q. *Quid est dispensatio?*

R.

R. Eſt Juris communis relaxatio facta ab habente poteſtatem ſive Ordinariam ſive delegatam ob rationabilem cauſam.

Q. *Tolliturne Lex per quamcunque conſvetudinem contrariam?*

R. Tollitur ſi ſequentia concurrunt: 1. Si tota Communitas, aut major pars contrarium quid facit legi per 40. Annos Eccleſiaſticæ, & per 10. legi politicæ, ſeu Civili, 2. Si Legiſlator hoc tempore contrariæ conſvetudini non reſiſtit: quamvis âliter alibi dixi de lege Eccleſiaſtica quod minime obeſt.

Q. *Rectene dicitur, quod conſvetudo ſit altera lex?*

R. Recte, dummodo ſit utilis Cõmunitati, & inducta animo ſe obligandi. *Mos* enim *populi DEI,* inquit S. Aug. Epiſt. 86. *& inſtituta maiorum, pro lege ſunt tenenda.*

SECTIO XV.
DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

Q. *Quid ſunt Præcepta Decalogi?*

R. Sunt velut compendium omni-

mnium divinarum legum decem Statutis in tabulis lapideis duabus digitô DEI ſcriptis, populoque Iſráëlitico in monte Sinai propoſitis, comprehenſũ: & ſequentibus verſibus complectuntur:

Unum cole DEUM nec iures vana per ipſum,
Sabbata ſanctifices, habeas in honore parentes.
Non ſis occiſor, mæchus, fur, teſtis iniqvus,
Non ſponſam Alterius, nec rẽ cupias alienã.

Q. *Quot, & quotuplicia ſunt Præcepta hæc?*

R. Decem, & duplicia. Una affirmativa, quæ aliquid præcipiunt faciendum, & alia negativa, quæ aliquid vetant faciendum. Item primæ & ſecundæ Tabulæ. Primæ ſunt tria, & reſpiciunt DEUM, Secundæ autem ſunt poſteriora ſeptem, & proximum reſpiciunt, ut notat S. Thomas ex S. Auguſ:

Q. *Quomodo differunt interſe Præcepta Decalogi?*

R. Hoc modô; quod præcepta negativa obligent ſemper, & pro ſemper ita, ut nunquam liceat facere quod prohibent v. g. adulterari: præcepta autem affirmativa obligant quidẽ ſemper,

per, ſed non pro ſemper. Quamvis enim teneamur parentibus ſemper honorem præſtare, hoc tamen pro loco tantùm & ſecundùm circumſtantias debitas, ut inquit S. Thomas 2. 2. qu. 3. ar. 2. non vero, ut ſingulis momentis ejusmodi honoris teſtimonia exhibeamus &c.

Q. *Quid hîs præceptîs Decalogi præcipitur, quidvè vetatur?*

R. *Per primum præceptum* honor, & gloria DEO reddenda præcipitur per actus virtutum Theologicarum (de quibus ſupra f. 13.) per actus Religionis utroſque (de quibus ſupra f. 74.) & vetatur ſuperſtitio &c. (de qua ſuperius, 84. & reliquis)

Per Secundum, prohibetur blaſphemia, detractio Divinæ excellentiæ, falſa teſtimonia cum adjuratione, & invocatione Divini Nominis, perjuria, violationes votorum &c. de quibus ſupra f. 78. & 93.

Per Tertium præcipitur, ut dies Dominicos, & Feſtivos ſpecialiori cultu obeamus audiendo Miſſam, & abſtinen-

do

do à labore ſervili ita ut protunc ſoli DEO ejuſque devotioni vacemus. Excuſantur hìc ab auditione Miſſæ juſtè impediti, ut inſervientes infirmis, deputati cuſtodiæ domûs, peccorum, rei familiaris &c. quo pertinent & itinerantes, & Eccleſiam in via non reperientes.

Per Quartum Tenemur Parentibus Superioribus, & quorum jurisdictioni ſubjacemus honorem, amorem, & obedientiam exhibere.

Quintò vetatur omnis non ſolùm injuſta occiſio hominis, ſed etiam vulneratio, mutilatio, percuſſio, omniſque læſio, in corpore, anima, & fama, tum reipſa, tum conſilium aut auxilium dando &c.

Præceptum Sextum, & *Nonum* ſecum coincidunt, tantùm in hoc differunt, quod per Præceptum ſextum prohibeatur omnis actus venereus externus in omni materia, & ſpecie luxuriæ: Per nonum autem omnis actus internus, puta quælibet obſcæna, & turpis cogitatio moroſa, pravi affectus, & deſideria.

Septi-

Septimô Præceptô prohibetur omnis alienæ rei acceptio, & detentio injusta, & si hæc facta est præcipitur restitutio facienda. Quia verò non solum injusta acceptio rei alienæ est peccaminosa, sed etiam concupiscentia qualiscunque rei alterius, hinc *Decimô Præceptô* interdicitur: *Non concupisces rem proximi tui.*

Præceptô demum *Octavô* prohibetur quælibet injustitia, & injuria inferenda, sub qua comprehenditur; Detractio, Contumelia, Convitium irrisio, susuratio, mendacium, famosus libellus &c.

Q. *Quid hæc singula denotant?*

R. *Detractio* est alienæ famæ occulta denigratio *Contumelia* est violatio honoris alicujus objectô illi palàm aliquô defectu. *Convitium* est exprobratio insufficientiæ proximo *Irrisio* est despectus proximi cum cachinno. *Susurratio* est occulta molitio dissensionis jam vero:

Mendacium est locutio alterum fallens, estq; triplex Jocosum, officiosum, & perniciosum. *Jocosum* est, quod fit voluptatis, seu delectationis cujusdam

gratiâ,

gratiâ; *Officiosum*, quod fit propter utilitatem sive propriam, sive alterius: utrumque ex genere suo veniale. Et *Perniciosum*, denique est illud, quod causat damnum proximi; estque ex genere suo mortale, nisi parvitas materiæ excuset a mortali. Ac tandem.

Famosus Libellus est scriptura continens infamiam alicujus nondum publicatam, ut notificetur, & publica fiat.

Q. *Quid est Judicium temerarium?*

R. Est sinister conceptus de proximo ex levibus, & insufficientibus signis.

Q. *Quid Furtum denotat?*

R. Denotat rei alienæ acceptionem occultam invito rationabiliter Domino; quæ si fiat palam erit Rapina distinctam in se malitiam habens. Furti complices ad restitutionem quoque obligati hîs versibus comprehenduntur:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus.
Participans, mutus, non obstans, non manifestans

Ubi palponem denotat laudatorem furtivæ actionis, industriæ, modi &c. reliqua facile explicanda.

SECTIO

SECTIO XVI.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

Q. *Quid, & quot sunt Præcepta Ecclesiæ?*

R. Sunt quædam Sanctiones illius ad quas observandas Fideles obligantur, & sunt quinque sequentibûs versibûs expressæ.

Festos dies cole, Missæ reverenter adesto.
Serves Jeiunium, Parocho peccata fatere.
Tempore Paschali Sacratam sume Synaxim.
Ac quintũ decimas reddas, Ecclesia mandat.

Q. *Quid his Præceptis præcipitur?*

R. Horum *Primô* præcipitur devota auditio Missæ, & prohibentur opera servilia, causæ forenses, juramenta judicialia &c.

Secundô præceptô præcipitur servandum jejunium *Tertiô*, & *Quartô* præceptô mandatur Confessio peccatorum coram proprio Parocho, vel de ejus licentia coram alio facienda, ac tempore Paschali Sacra Communio in sua Parochia sumenda, quibus Sacrilegè confitens, & Communicans non satisfacit. Hæc Præcepta negligentes subjacent feren-

ferendis pœnis nè Ecclesiam ingrediantur, aut mortui in loco Sacro sepeliantur.

Quintum Demum *Præceptum* mandat Decimas solvere, quæ aliud non sunt, quam decima pars omnium fructuum licitè aquisitorum DEO in recognitionem sui universalis Dominii debita, & Ministris Ecclesiæ in eorum congruam sustentationem omni anno exolvenda.

Ab his potest quis eximi privilegiô Summi Pontificis, consvetudine, præscriptione legitima, compositione, remissione, imò & ob gravem paupertatem. *DD. & Jus Canon.*

SECTIO XVII.

DE JEIUNIO.

Q. *Quid, & quotuplex est Jeiunium?*

R. Est abstinentia à Cibo juxta præscriptum Ecclesiæ, & est duplex, *naturale, & Ecclesiasticum.* Primum consistit in abstinentia ab omni cibo, & potu, omnique re sumpta per modum horū, vel etiam medicinæ requisitum sex horarum spatio, à media nocte incipiens,

ens, ad ſumptionem Sanctiſſimæ Eucharistiæ: Secundum requirit abſtinentiam à Cibo tam ſecundùm qualitatem, quàm ſecundùm quantitatem, ut nimirum vetitus cibus non comedatur, & ex permiſſo non fiat tantùm una comeſtio circa meridiem, cui addi poteſt ſerotina collatiuncula.

Q. *Quæ ſunt requiſita ad obſervantiam Jeiunii Eccleſiaſtici?*

R. Hæc: Comeſtio unica, qualitas Ciborum, & tempus Comeſtionis.

Q. *Quæ ætas requiritur, ut quis obligetur Jeiunare, & quæ, ut ab hac obligatione eximatur quoad plures comeſtiones?*

R. Requiritur quoad primum, ætas Annorum viginti unius completorum; & quoad ſecundum ætas Annorum ſexaginta pariter completorum.

Q. *Quô tempore Jeiunium non obligat?*

R. Tempore, quod eſt intra Paſcha, & Pentecoſten, omnibus diebus Dominicis, & in die Nativitatis Domini (ubi etiam licitus eſus carnium, præter Religioſos, qui aliud habent ex ſuis Conſtitutionibus) propter Spiritualem

lætitiam Sancta Mater Ecclesia non solet jejunare.

Q. *Non Jeiunans per totam Quadragesimam quot peccata committit, unumne an plura?*

R. Tot peccata committit, quot diebus non jejunat, quia jejunium est onus diei. E contra verò qui pluries in die comedens plures sumit refectiones, per secundam tantum comestionem peccat, quia per illam se reddit ad jejunandum impotentem, unumque peccatum committit. Verùm qui carnes pluries comederet tot peccata cōmitteret, quot faceret comestiones; abstinentia enim à carnibus est præcepti negativi obligantis ad semper pro semper: *Bonac*; neque per comestionem unam carnium redditur quis impotens, ut adhuc ab illis abstineat.

Q. *Qui excusantur à Jeiunio?*

R. Infirmi, itinerantes pedetentim, Artifices mæchanici; non verò Tonsores, sartores, Pharmacopolæ, aut pedisequi famuli Dominorum.

****

SECTIO

SECTIO XVIII.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Q. *Quid est Sacramentum?*

R. Est signum visibile invisibilis gratiæ divinitus institutum ad nostram Sanctificationem.

Q. *Quot sunt Sacramenta?*

R. Sunt septem: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pænitentia, Extrema, Unctio, Ordo, & Matrimoniū. Jlla instituit Christus Dominus per potestatem excellentiæ, quam habet ratione unionis hypostaticæ.

Q. *Hæc omnia Sacramenta suntnè omnibus necessaria ad salutem?*

R. Baptismus omnibus in re, vel saltem in voto, & Pænitentia lapsis post Baptismum sunt omnino necessaria necessitate medii, Eucharistia adultis usū rationis habentibus necessitate præcepti, Ordo verò & Matrimonium toti tantùm Ecclesiæ est necessarium. Qui autem Confirmationē non suscipiunt, & Extremam Unictionem non peccant.

Q. *Quotuplicia sunt Sacramenta?*

R. 1. Duplicia Vivorum, & Mortuorum *Vivorum* supponunt hominem esse in gratia, & sunt instituta ad conferendam tantùm gratiam secundam, quæ est augmentum gratiæ primæ, seu sanctificantis, suntque: Confirmatio, Eucharistia, Extrema, Unctio, Ordo, & Matrimonium. *Mortuorum* verò sunt instituta ad Conferendam gratiam Sanctificantem, & supponunt hominem esse in peccato, suntque Baptismus, & Pænitentia.

R. 2 Duplicia item sunt: Una, quæ possunt (ut Eucharistia, Pænitentia Extrema Unctio, & Matrimonium) alia, quæ non possunt (ut Baptismus, Confirmatio, & Ordo) iterari propter Characterem (qui quid sit vide supra f. 37.) quem imprimunt.

Q. *Per quid differunt Sacramenta novæ Legis, à Sacramentis veteris Legis?*

R. Per id 1. Quia Sacramenta novæ Legis instituit Christus, non autem veteris. 2. Quia Sacramenta veteris Legis non causabant gratiam Sanctificantem, nisi ex opere Operantis;

novæ

novæ verò illã causant ex opere operato virtute videlicet meritorũ Christi. 3. Quia Sacramenta novæ Legis constant rebus tamquã materia, & verbis tamquam forma; Veteris verò non necessariò constabant verbis, sed rebus tantùm, ut patet in Circumcisione, & Agno Paschali: quamvis in aliquibus verba adhibebantur, ergo saltem non in omnibus.

Q. *Quæ sunt essentialiter constitutiva Sacramentorum?*

R. Ista tria: Materia, Forma, & Intentio Ministri. Et quia Materia, & Forma Sacramentorum sunt instituta à Christo Domino, hinc sicut materiam, ita & Formam Sacramentorum Ecclesia nequit immutare.

Q. *Quid est materia, & quid forma Sacramentorum?*

R. Res sensibilis circa quam versatur Sacramentum v. g. in Baptismo aqua elementalis, habet rationem materiæ, seu est materia; & verba prolata à Ministro sunt forma.

Q. *Quis est Minister Ordinarius Sacramentorum*

R. Homo Viator, cui ſoli DEUS hanc dedit poteſtatem. Extraordinarius poteſt eſſe Sanctus, aut Angelus, ut legere eſt exempla in Vitis Patrum.

Q. *Intentio ad validitatem Sacramenti eſtnè neceſſaria in Miniſtro, quid, & quotuplex illa?*

R. Eſt: hæc autem eſt actus voluntatis liber, quô illa ſe determinat ad aliquid faciendum, v. g. *Volo baptizare.* Eſtque triplex: Actualis, Virtualis, & habitualis. *Actualis* eſt dum actu voluntatis intenditur res fieri, quæ fit ab agente; ſeu per quam quis ſe determinat ad aliquid agendum. *Virtualis* eſt per quam intentio præterita actualis non retractata in aliquo perſeverat, quod influit in opus: *Habitualis* eſt habitus, & uſus quidam ex præteritis intentionibus genitus.

Q. *Quæ igitur harum intentionum neceſſaria eſt ad valorem Sacramenti?*

R. Actualis, illaque Optima eſt; ſufficit quidem etiam virtualis, ſed habitualis nequaquam, quia cum hac non agit homo modô humanô, ſeu electivè,

vè, ſed tantùm profert verba materialiter nihil omnino intendens.

Q. *Præter gratiam Sanctificantem quid adhuc conferunt Sacramenta?*

R. Juxta S. Thomam conferunt gratiam Sacramentalem conſiſtentem in auxiliis ordinariis ad obtinendum finem cujuſcunque Sacramenti, uti per Sacramentum Ordinis auxilia ad munus ſacrum rectè obeundum, auxilia ad prolem piè educandam per Sacramentum Matrimonii &c. Item conferunt tria Sacramenta, puta Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo Characterem recipienti in anima.

Q. *Quid eſt Character?*

R. 1. Præter dicta (ſupra f. 37.) eſt indicium, & nota, ſeu ſignaculum quoddam diſcernens Baptizatum a non baptizato; & inter baptizatos diſcernens fidelem poſitum in uno ordine, ab alio fideli in alio ordine collocato, vel confirmatum à non confirmato. Quæ quidem cum defacto fieri ad oculum non poſſet eſſe diſcernentia ſed primo poſt mortem in anima, hinc pro moderno ſtatu.

R. 2. Character est qualitas spiritualis indelebilis divinitus infusa animæ, per quam homo redditur capax ad recipiendum, sive administrandum Sacramentum, & ad exercendum alia opera ad cultum divinum spectantia. Per Baptismum enim efficitur homo idoneus ad reliqua Sacramenta recipienda; per Confirmationem disponitur proximè ad actus fidei eliciendos, & eam fortiter protestandam coram infideli; per characterem Ordinis qualificatur ad debitum sui Officii rirè Præstandum, & munus Ordinis eâ, quâ par est decentiâ & reverentia obeundum.

Q. *Differuntnè Specie hi tres characteres?*

R. Differunt, quia conferuntur ad significandam diversam potestatem, & diversa munera exercenda. Neque aliquis illorum amittitur per peccatum mortale, neque per mortem deletur, sed in Beatis permanet ad coronam, & in damnatis ad pænam. *De duplici materia Sacramentorum, & simultate illius cum forma, vide supra dicta relata f. 36. & 37.*

APPA-

APPARATUS III.

De Iis,

quæ ſunt ſcitu neceſſaria

Ad Sacrum Ordinem Diaconatûs promovendis.

SECTIO I.

DE SACRO ORDINE DIACONATUS.

Q. *Quid eſt Diaconatûs?*

R. Eſt Ordo Sacer, quô accipitur ſpiritualis poteſtas miniſtrandi proximè Sacerdoti ſacra peragenti.

Q. *Quæ, & quot ſunt Officia Diaconi?*

R. Sunt ſequentia quinque: 1. Preſbytero ſacra peragenti proximè, & immediatè aſſiſtere, & miniſtrare. 2. Evangelium ſolemniter, puta cum manipulo, & Stola cantare. 3. In defectu Preſbyteri, vel illo conſentiente S. Euchariſtiam populo diſtribuere. 4. Defectum ſupplendo Presbyteri, vel illo conſentiente ſolemniter baptizare. 5. Verbum DEI populo prædicare, bapti-

ptizandos instruere, Episcopo prædicanti assistere, bona Ecclesiæ dispensare, & elemosynas pauperibus distribuere.

Q. *Quotuplex est materia Diaconatûs?*

R. Duplex: Remota, & Proxima. *Remota* est Liber Evangeliorum una, & altera manus Episcopi. *Proxima* una est libri Evangeliorum traditio; altera manus Episcopi impositio. Forma hujus S. Ordinis etiam est duplex, una sub impositione manûs Episcopi dicentis; *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo, & tentationibus eius in Nomine Domini.* Altera sub traditione Evangeliorum libri in his verbis consistens. *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia tam pro vivis, quam pro Defunctis in Nomine Domini.*

Q. *Si cui in Ordinatione pro Diaconatu non traderetur liber Evangeliorum, sed tantum manus Episcopi imponerentur, essetnè validè Ordinatus?*

R. Videretur esse validè ordinatus, quia traditio libri Evangeliorum videtur esse accidentaria, tum quia pri-

mi

mi Diaconi absque illa fuerunt ordinati, cùm nondum exaratus esset Liber Evangeliorum, tum, quia Græci sola manûs impôsitione Diaconos Ordinant. *Habert*.

Q. *Ordo Diaconatûs a quo, & quando fuit institutus?*

R. A Christo Domino. quando in ultima Cæna Discipulos suos Sacratissimo Corpore, & Sangvine suo communicavit.

Q. *Quis amictus proprius Diaconi?*

R. Stola à sinistro humero per pectus, & dorsum ad latus dextrum sub brachio dextro ducta, & extremitatibus cinguli ligata.

Q. *Si quis temerè susciperet Diaconatum non susceptô prius Subdiaconatu* (talis Ordinatio in Jure Canonico dicitur per saltũ, *qualem pœnam incurreret?*

R. Ipsô factô incurreret pœnam suspensionis, & si audet exercere ita susceptum Diaconatum, fit irregularis non nisi à solo Pontifice dispensandus.

Q. *Teneturnè Diaconus suum Officium exercere antequam ad Presbyteratum promoveatur?*

R.

R. Tenetur. Idem de Subdiacono dicendum.

SECTIO II.

DE CENSURIS IN COMMUNI.

Q. *Quid est Censura?*

R. Est pæna Spiritualis Juris Ecclesiastici privans deliquentem contumacem usu quorumdam bonorum Spiritualium donec à contumacia desistat.

Q. *Quotuplex est Censura?*

R. Triplex: excommunicatio, Suspensio, & interdictum. Unde carcer, & similia, ac privatio Beneficii, non possunt dici, neque esse censuræ, si non habeant annexam suspensionem, quia sunt pænæ merè temporales,

Q. *A quo ferri possunt Censuræ?*

R. A solo Superiore Ecclesiastico habente jurisdictionem in foro externo, & contentioso, sive ordinariam sive delegatam: Sed qui habet delegatam potestatem, non potest alium loco sui delegare, qui fungatur vice sua inferenda censura.

Ferræ ergo possunt censuras: Papa &

pa & Concilium generale in toto Orbe, Concilium Provinciale in tota Provincia, Archiepiscopi, Episcopi, Capitula Sede vacante, Generales, Provinciales, Superiores locales respectu Religiosorum sibi subditorum, & omnes alii ad hoc privilegium habentes.

Q. *Poteſtnè Subſtitui Laicus, ut cenſuram ferat ?*

R. Non. Quia non est Superior Ecclesiasticus, sicut nec Religiosus Professus Superior v. g. apud Fratres Misericordiæ, nisi habeat Primam Tonsuram, contra suos subditos hôc medicinali farmacô uti potest potestate clavium carens: idem dicendum de Abbatissis respectu suarum Monialium, quæ tamen possunt suspendere Clericos subditos ab Officio, & Beneficio, sed suspensione latè accepta per modum præcepti, quod si transgreditur, irregularitas non incurritur.

Q. *Contra quas perſonas poſſunt ferri Cenſuræ ?*

R. Contra illas, quæ sunt baptizatæ, vivæ, inferiores, & subditæ. Ca-

techu-

techumeni enim nequeunt censurari, quia nondum sunt Ecclesiæ ingremiati; sed Hæretici, Apostatæ, & Schismatici; quia per baptismum subdiderunt se Ecclesiæ, censuris affici possunt. Mortui etiam censuris ferendis non possunt subjacere sed tantùm illæ declarari debent, quas vivi incurrerunt, & monendi sunt fideles, ne pro ipsis orent: dum autem pro ipsis permittitur publica oratio, tunc dicuntur à censura absolvi.

Q. *Quale peccatum debet esse, quod censura sit puniendum?*

R. Debet esse peccatum externũ, & grave habens annexam peccantis contumaciam, & proportionem ad censuram. Et dum censura fertur in personam, debet peccatum esse illius personæ contra quã hæc fertur; Si verò contra Magistratum, aut locum, requiritur, quod peccaverit totus Magistratus, aut Principale caput, seu Superior loci, Civitatis Magister.

Q. *Debetnè peccati illius, contra quod censura fertur, actus opere ipso esse completus totaliter?*

R.

R. Debet esse opere ipso externo completus, & perfectus, nisi fors aliter expressum esset in comminatione censuræ. Alias enim excommunicationem latam contra homicidium incurrerent mandantes, consulentes, juvantes, imo, & lethaliter vulnerantes non secuta adhuc morte, quod dici non potest. Nam pænæ, & odia semper sunt restringenda juxta Juristas.

Q. *Peccatum veniale potestnè puniri Censura?*

R. Ad ultimum levi aliqua suspensione, aut interdicto; non tamen excõmunicatione majori potest puniri; quia pæna debet proportionari culpæ, quæ si excedat hanc proportionẽ, non modo injusta, sed & nulla est.

Q. *Petrus habuit ab hero suo comminata gravia verbera procertò insligenda ne violenter stitisset in via publica Paulum Clericum, incurritnè Censuram hoc faciens?*

R. Non. Quia faciens hoc Petrus ex metu gravi, non censetur esse contumax, quod requiritur ad censurã incurrendam. *Bonacina.*

Q.

Q. *Quibûs modis invalidantur Censuræ?*

R. Sequentibus: 1. Si reus non fuit monitus, & citatus citatione canonica, ideſt trina; quandoque autem ex juſta ratione ſufficit una pro tribus; v. g. moneo te ſemel pro tribus vicibus: 2. Si ſcriptô non fuit citatus, vel cauſa cenſuræ non fuit expreſſa. 3. Si reo petenti exemplū Scripturæ intra menſem non fuit extraditum; quibus non habitîs Judex incurrit ſuſpenſionem à Divinis Officiis. 4. Si deficit juſta cauſa cenſuram ferendi, puta quia neque in re fuit patratum delictum, neque ſufficienter probatum &c. Et quamvis quandoque non ſit patratum delictum, eſt tamen juridicè ſufficienter probatum; tamen reus eſto in foro conſcientiæ præſumatur non eſſe cenſura innodatus; debet nihilominus gerere ſe ut talem, ne fidelibus fiat occaſio ſcandali, contemnatque tali modô cenſuras.

Q. *Quomodo adhuc dividitur Censura?*

R. Dividitur adhuc in illam 1. quæ eſt latæ Sententiæ; & in eam 2. quæ eſt Sententiæ ferendæ. Quæ eſt

latæ

latæ ſententiæ incurritur mox patratô delictô, nec opus eſt alia ſententia Judicis: quæ verò eſt ferendæ ſententiæ, non incurritur mox, ut crimen admittitur, ſed opus eſt, ut per ſententiam Judicis illâ afficiatur reus.

SECTIO III.

DE CENSURIS IN PARTICULARI.

Q. *Quid eſt Excommunicatio?*

R. Juxta doctrinam S. Thomæ in Supplemento, eſt Cenſura Eccleſiaſtica, quâ Chriſtianus à communione Eccleſiæ quoad fructum, & ejus ſuffragia generalia, & à qualibet licita fidelium cõmunione excluditur.

Q. *Quotuplex eſt excommunicatio?*

R. Duplex minor, & major. *Prima* eſt Eccleſiaſtica Cenſura, quæ baptizatum privat participatione Sacramentorum, & paſſiva electione ad dignitates, & Beneficia Eccleſiaſtica. *Ex Cap. ſi celebrat.* Tit. *de Clerico excomm.* *Secunda* eſt cenſura Eccleſiaſtica, quâ homo baptizatus ſeparatur à cõmunione fidelium, & privatur uſu utroque Sacramentorũ

tam activo quam passivo, ac sepultura Ecclesiastica.

Q. *Quid est illud, in quo consistit Communio Fidelium?*

R. Participatio Sacramentorum, & publicarum Ecclesiæ orationum, ac consortium fidelium, civilisque conversatio mutua.

Q. *Quomodo hæc utraque excommunicatio subdividitur?*

R. In illam, quæ est alia a jure, & alia ab homine; alia comminatoria, alia ipsô factô, vel jure incurrenda.

Excommunicatio à Jure, est illa, quæ per canonem, vel Statutum, aut Constitutionē fertur. *Excommunicatio* verò *ab homine* est, quam, judex decernit. *Comminatoria* non stringit priusquā sententia judicis proferatur, stringit verò quæ incurritur ipsô factô perpetrato, nec indiget, ut amplius aliquā sententiaā Judicis expectet, *prout Paulo supra Responsione ad Q. Ult. Sect. præc. dictum vero similiter.* Verum verba illa in jure expressa: *Sit excommunicatus*, vel *excommunicetur*: secundum DD intelligi debent de excommunicatione

majori energia enim ejusmodi grave supponit delictum.

Q. *Quæ est differentia excommunicationem inter à Jure, & ab homine?*

R. Ista: 1. quia excommunicatio à Jure semper est generalis; ab homine autem subinde generalis, & subinde particularis. 2. Excommunicatio à Jure semper durat; ab homine autem cessat per obitum ferentis, aut per expirationem illius jurisdictionis, si delictum est patratum post illius vitam, vel jurisdictionem. 3. A jure; si nemini sit reservata, potest absolvere quilibet Confessarius; secus ab homine, nisi, qui eam tulit.

Q. *Quæ est materia tam latæ, quam ferendæ excommunicationis, & quotuplex?*

R. Peccatum mortale ab Ecclesia sub pœna excommunicationis prohibitum baptizati est materia remota: contumacia verò, consistens in hoc quod quis sciens tale peccatū esse prohibitum sub excommunicatione, nihilominus illud committit, est materia proxima excommunicationis.

Q. *Quot, & qui sunt effectus excommunicationis minoris:*

R. Duo, suntque *unus*, quod privet passivô usû Sacramentorum, ut dictum in ejus definitione paulo supra, *secundus* quod privet quoque passiva electione ad dignitates, & Beneficia Ecclesiastica. Unde lethale peccatum comittit recipiens aliquod Sacramentum existens in excommunicatione minori, antequam absolvatur, sed irregularitatem non incurrit. Valida etiam sunt Sacramenta collata taliter innodato, de sola tantùm Pænitentia controvertunt. DD.

Q. *Per quid incurritur excommunicatio Minor?*

R. Si quis scienter, & volenter conversetur, & communicet cum excommunicato excommunicatione majori, notorio, & publice denunciato in casibus, in quibus non licet cum eo communicare, vel cum Clerici publico percussore; quamvis ejusmodi communicatio sit levis, & tantùm venialis.

Q. *Qui sunt effectus excommunicationis Majoris?*

R.

R. Excommunicatio major, ùt dictum ſupra in ejus definitione, ſeparat à Communione fidelium, privatque uſu Sacramentorum tam activo, quam paſſivo, participatione communiũ suffragiorum Communicatione in Divinis Officiis, Eccleſiaſticâ Sepulturâ: jure electionis paſſivæ, & activæ ad dignitates, & Beneficia Eccleſiaſtica, jurisdictionis Eccleſiaſticæ in foro exteriori, Communicationis forenſis, & ſimultanei convictus inſuper, quod continet uſitatus verſus:

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Os Significat confabulationes ſive verbo, ſive ſcripto. *Orare* vetat orationem cum excommunicato fundendam. *Vale* prohibet ſalutationem honorificam e. g. caput diſcooperiendo. *Communio* inhibet quamlibet ſocietatẽ, puta in contractibus, & communi habitatione. *Menſa* denique denotat non ſumendum cibum, neque potum cum excommunicato.

Excipiuntur nihilominus aliqui caſus, à Canoniſtis verſu ſequenti expreſſi

Utile,

Utile, lex, humile, res ignorata necesse.

Per *Utile* denotatur utilitas æquè temporalis, quàm ſpiritualis, ùt excommunicato fruges melior ſvadeatur, aut ab illo conceſſum rehabeatur, conſilium, aut auxilium habeatur &c. *lex* Matrimonium importat, vi cujus vinculi conjuges invicē communicare valent. *humile* deſignat obligationem filiorum, ſervorum, & ſubditorum, qui ſtringuntur obſequia præſtare parentibus, dominis, & Majoribus excommunicatis: *res ignorata* ſignificat inadvertentiam, aut bonam fidem, qua cum excommunicato communicatur. Ac tandem *Necesse* denotat reciprocam neceſſitatem in alimentis præſtandis jure naturali, auxiliis ferendis, mortuis terræ mandandis, non tamen in loco ſacro, ſi quis ex excommunicatis moreretur.

SECTIO IV.

DE SUSPENSIONE.

Q. *Quid eſt Suſpenſio?*

R. Eſt Cenſura Eccleſiaſtica, quâ perſo-

personæ Ecclesiasticæ prohibetur usus Ordinis, Officii, & Beneficii.

Q. *Quotuplex est Suspensio?*

R. Triplex: Ab Ordine, ab Officio, & a Beneficio. *Prima* privat usu Ordinis, quod non liceat tunc Sacerdoti Missam celebrare, & Sacramenta administrare, Diacono, & Subdiacono solemniter functiones suas obire: Si tamen hi quandoque functiones minorum ordinum obirent, non essent ideo irregulares, quia his insigniti, & prima Tonsura, non solent hac sententia in Ecclesia feriri, cum ipsorum officia etiam à Laicis promiscuè exerceantur. *Suspensio ab Officio* privat personam Ecclesiasticam usu jurisdictionis, ut eligere ad Beneficia, censuras ferre, delegare ad munia Sacerdotalia obeunda licitè non possit.

Suspensio verò à Beneficio est illa, quâ persona Ecclesiastica privatur fructibus tēporalibus obvenientibus ex suo Beneficio, ut non possit de illis participare, nec eos administrare.

Sunt præterea & aliæ Suspensiones, puta à Jure, & ab homine: ad tē-

pus

pus & sine temporis determinatione: alia totalis, & alia quoad unum tantùm &c.

Q. *Dum fertur pæna Suspensionis in Capitulum, Conventum, vel Religiosam Communitatem, fiuntnè tunc omnes suspensi?*

R. Pro tunc non debent intelligi suspensi innocentes, sed tantùm qui culpam perpetrarunt, quæ commeruit pœnam Suspensionis. *Layman &c.* Cum suspenso non licet communicare in divinis sub mortali.

Q. *Ut suspensio lata ab homine suo valore non frustretur quid requiritur?*

R. 1. Debet de crimine, & contumacia constare citata parte, utque prius præcedat monitio ut à contumacia desistatur. 2. Sententia est ferenda in scripto, ubi causa debet exprimi propter quam Suspensio fertur. Dum tamen occurreret crimen notorium, vel probatum, admonitio non est facienda, prout neque in suspensione, quæ fertur à Jure, tunc enim jus ipsum est loco admonitionis. *Alarius.*

Ex quo infertur illam suspensionem

nem quam fert verbalem Superior in suum Religiosum rationem non habere censuræ, sed potius simplicis præcepti adeoquè neque propterea fieri irregularẽ, si quid exerceret in quod se tale præceptum extenderet. *Idem Sentiunt & alii DD.* & Sacra Cong. 1703. 18. resolvit ita in simili casu. Preis. f. 196.

SECTIO V.

DE INTERDICTO.

Q. *Quid est Interdictum?*

R. Est Censura Ecclesiastica privans hominem baptizatum aliquibus Sacramentis, & omnibus Officiis Divinis, ac Ecclesiasticâ Sepulturâ Cap. *Quod in te.* Tit. *de Pœn. & remiss.*

Q. *Quotuplex est Interdictum?*

R. Triplex: locale, personale, & mixtum *Locale* directè fertur in locum, proinde non licet illo durante in eo Officia Divina celebrare saltem publicè, neque aliquem in illo sepelire. *Personale* cadit in Personas, ut nullibi possint Divinis interesse, aut in aliquo loco sacro sepeliri. *Mixtum* ex utroque coalescit,

ſcit, & afficit tam perſonas, quam locum, & habet effectus tam localis, quã perſonalis interdicti.

SECTIO VI.

DE DEPOSITIONE, & DEGRADATIONE.

Q. *Quid eſt Depoſitio?*

R. Eſt privatio perpetua muneris Clericalis per ſententiam Canonicam cum debita ſolemnitate prolatam: quod fieri poteſt vel immediatè per ipſum Epiſcopum, vel per Vicarium ab illo ſpecialiter deputatum. Et cùm hæc ſit pæna graviſſima, fieri non poteſt, niſi dum eſt perpetratum crimen gravius, & enorme à jure expreſſum, aut etiam aliis conſimilibus arbitrio Judicis maturè penſatis, cum proportione ad tantam pænam, ne excedat limites juſtitiæ diſtributivæ delicta vindicantis. Verùm Depoſitus non amittit Privilegium *Canonis, & Fori.*

Q. *Quid eſt Degradatio?*

R. Eſt privatio perpetua muneris Clericalis abſque ſpe reſtitutionis, & cum privatione Privilegii *Canonis & Fori.*

Q.

Q. *Quomodo dividitur Degradatio?*

R. Dividitur in verbalem (*cap. degradatio, de pœna in 6.*) quæ fieri poteſt etiam in abſentem: & in Actualem, quæ fit cum prolatione verborum degradationem deſignantium adjuncta cæremonia per canones præſcripta in præſentem. Et poteſt quælibet perſona Eccleſiaſtica Clericalis, etiam habens tantùm primam Tonſuram, degradari.

Q. *Quæ eſt differentia inter degradationem, depoſitionem, & Suſpenſionem?*

R. 1. Quia Suſpenſio eſt Cenſura; Degradatio verò, & Depoſitio non. 2. Quia ſuſpenſio tantum impedimento eſt actui Ordinis exercendo; Degradatio autem, & Depoſitio tollunt jus ad actum ordinis exercendum. Depoſitio autem per hoc differt à Degradatione, quod non privet Privilegio *Canonis, & Fori*, ſicut Degradatio.

SECTIO VII.

DE IRREGULARITATE.

Q. *Quid eſt Irregularitas?*

R. Eſt impedimentum per Sacros

Canones ſtatutum vetans ſuſceptionē, & exercitium Ordinum.

Q. *Quotuplex eſt Irregularitas?*

R. Duplex: Totalis, & partialis. *Prima* eſt, dum quis privatur omni uſu Ordinum, puta homicida: *Secunda*, dum quis tantum aliquo uſu Ordinis privatur, v. g. Sacerdos lumine oculorum orbatus, quamvis non poſſit Miſſam celebrare, poteſt tamen Confeſſiones pænitentium excipere.

Item eſt duplex, ex defectu videlicet, & ex delicto. Ex defectu contrahitur abſq; peccato; illa verò quæ contrahitur ex delicto ſemper ſupponit peccatum opere conſumatū præceſſiſſe v. g. homicidium.

Q. *Quot ſunt Irregularitates ex defectu?*

R. Novem. 1. Ex defectu animæ. 2. Ex defectu corporis. 3. Ex defectu Natalium. 4. Ex defectu ætatis, dum quis competentes annos non habet ad Ordines ſuſcipiendos. 5. Ex defectu libertatis. 6. Ex defectu obligationis. 7. Ex defectu Sacramenti. 8. Ex defectu bonæ famæ. 9. Ex defectu lenitatis.

Ex defectu animæ ſunt Tres. 1.

Carentia rationis, ut in infantibus, amentibus, & furiosis. 2. Est defectus scientiæ ad Officia Ordinis prout est par rite,& debite obeunda. 3. Defectus fidei, qua inhabiles sunt ad Ordines suscipiendos 1. Filii Hæreticorum. *Cap. Quicunque* 2. Neophytæ alias recens baptizati, de quibus Paulus 1. *Tim.* 3. *v.* 6.

SECTIO VIII.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU CORPORIS.

Q. *Quot sunt defectus corporis ratione quorum quis redditur irregularis?*

R. Quatuor: Mutilatio, ut si quis careret manu, aut indice vel pollice &c. 2. Defectus horrorem vel scandalum pariens, puta macula lepræ. 3. Debilitas nimia, quæ non permittit nisi cum magna difficultate sacras functiones obire. 4. Defectus inducens magnam deformitatem, puta carentia oculi dextri, aut sinistri, nasi, pedis, aut debilitas pedum, quod ad altare baculi fulcro opus esset; nullatenus audire valens, aut

ver-

verbum integrum qui nullo modo potest proferre huc etiam spectat.

Et quamvis vitia occulta corporis, eo quod hæc nullam deformitatem, nullumque indecorum pariant in exercitio Ordinum, non inducant irregularitatem; duæ tamen circumstantiæ excipiuntur. 1. Eunuchus propriâ culpâ factus, aut qui sibi membrum, vel partem illius absqe justa causa amputare fecit. *Ex cap. Maritum.* dist. 33. 2. Hermaphroditus etiam si sit occultus.

SECTIO IX.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU LIBERTATIS, & NATALIUM.

Q. *Qui censentur esse irregulares ex defectu libertatis, & natalium?*

R. 1, Servi propriè dicti, qui alio nomine mancipia dicuntur, prius à suis Dominis libertate donandi. 2. Ex fornicatione, aut adulterio progeniti, qui tamen per subsequens matrimonium legitimantur, secus nisi à solo summo Pontifice legitimandi, vel per Professionem

onem Religiosam, quæ efficiet, ut ad Ordines valeant promoveri, non verò ad Prælaturas. *Cap. Cum decorem. de filiis Præsb.* sicut & dispensatio Episcopalis hoc illis tantùm conferret quod possent ad minores Ordines, & Beneficium simplex, cui nimirum non est annexa cura animarum, recipiendum habilitari, non verò ad Majores Ordines, & Beneficia curata, ad hoc enim opus est dispensatione sūmi Pontificis. Cap. *Is, qui.* Tit. *de filiis Presb. in 6.*

SECTIO X.

DE IRREGULARITATE, QUÆ PROVENIT EX DEFECTU OBLIGATIONIS & SACRAMENTI.

Q. *Qui dicuntur irregulares ex defectu obligationis?*

R. 1. Publicis negotiis sæcularibus vacantes, puta Procuratores, Advocati, Notarii, & Milites. Conc. Later. cap. *Sed Nec.* Tit. *de Cler. vel Monach.* 2. Rationibus ex officiis curialibus, seu publicorum negotiorum, videlicet Procuratoriaratûs, Advocatoriaratûs &c.

ut in-

ut innutum, reddendi obnoxii. *cap. unico.* Tit. *de oblig. ad ratio.*

Q. *Quid est irregularitas ex defectu Sacramenti?*

R. Est ortum habens ex Matrimonio pluries contracto, quod aliter vocatur *Bigamia.*

Q. *Quotuplex est Bigamia?*

R. Triplex: Vera, Interpretativa, & Similitudinaria.

Bigamia vera est illa, quâ quispiam duas uxores unā post alteram legitimè duxit, & cum illis Matrimonium consumavit.

Bigamia Interpretativa est, dum aliquis viduam, aut ab alio corruptam in uxorem ducit.

Bigamia verò *Similitudinaria* est, quâ quispiam facta solemni Professione, vel post susceptum Sacrum Ordinem contrahit Matrimonium cum qualicunque, sive Vidua, sive Virgine, sive cum corrupta. *Cap. Nuper.* Tit. *de Bigamis non ordinandis.*

(**********)

SECTIO

SECTIO XI.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU BONÆ FAMÆ.

Q. *Suntnè idem, infamia, & defectus bonæ famæ?*

Non: Quia infamia semper ortum habet ex crimine; non autem defectus bonæ famæ, quia hic solùm obstaculum est, quod quis non ita clarescat æstimatione, quàm clarere posset illô non positô, ut si ducat mulierem prostitutam in uxorem.

Q. *Quid est Infamia?*

R. Infamia est læsæ dignitatis status vitâ ac moribûs reprobatus. *arg. L. Cognitionem ff. de extraord. Cognit.*

Q. *Infamia inducitnè irregularitatem?*

R. Inducit juxta regulam communem Juris in 6. *Infamibus portæ non pateant dignitatum.*

Q. *Quotuplex est Infamia?*

R. Duplex: Juris una, & altera facti *Juris* est, quam jus Canonicum, aut Civile sine præjudicio Canonici, imponit Sacerdotio enim sunt indigni, quos

tales Leges declarant infames. *c. omnes Causa 6. qu. 1.*

Infamia facti est, quæ ortum habet ex crimine, ratione cujus malè audit quis apud viros magnæ æstimationis, esto illud crimen non subjaceat pœnæ infamiæ. *c. 1. Licet.* Tit. *de probationibus.*

Q. *Quomodo dividitur Infamia Juris?*

R. Dividitur in illam, quæ per Legem ipsô factô decernitur contra nonnulla gravia crimina patrantes, puta contra usurarios, & perjuros: & in illam quæ ortum habet ex sententia Judicis contra reum condemnatoria ad pœnam infamantem v. g. ad Triremes. Crimina autem illa non debent esse occulta; quia non privarent bonâ famâ, & insuper debet adhuc accedere sententia declaratoria Judicis, ut quis perjurus v. g. aut usurarius censeatur infamis, & irregularis, esto ante hanc propter tale crimen malè audierit, & si juridicè non fuit declaratus infamis, potest absque dispensatione ordinari aut si quos habet ordines illos exercere deletâ malâ famâ per bonam vitæ conversationem.

Q.

Q. *Infamia facti facitnè irregularem?*

R. Facit. Qui enim ad Sacri ministerii assumitur munus, necesse est ut habeat bonum testimonium ab iis qui foris sunt, ut inquit Apostolus 1. *Tim.* 3.

Q. *Quô pactô tollitur infamiâ inducta irregularitas?*

R. Irregularitas quæ inducitur ex infamiâ facti per illam vitæ emendationem tollitur, quæ maculas vitæ præteritæ non tantùm coram DEO, sed & coram hominibus detergit, nec est opus dispensatione: Ut verò tollatur irregularitas juris, non sufficit pænitentia, sed insuper requiritur dispensatio. *c. cum te.* Tit, *de Sent. & re Judic.*

SECTIO XII.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU LENITATIS.

Q. *Quid est irregularitas ex defectu lenitatis, & qui illi subiacent?*

R. Est pollutio manuum effusione sive directa, sive indirecta humani sangvinis quamvis justa. Jllique subjacent omnes ad necem aut mutilatio-

nem esto justam voluntariè concurrentes sive re ipsa, sive consiliô, sive mandatô &c. *Clem. de Homicidio.*

Huic Irregularitati subjacent juxta Jus Canonicum: Judex, Accusator petens vindictam, Advocatus seu Procurator, qui accusatorem adjuvat, Testes, Scriba, seu Notarius, Qui sententiam exequuntur; puta Carnifex, Satellites, qui comitantur ad defensionem, custos carceris, qui furcam præparant, & scalam nectunt, & qui damnati (nisi ex inadvertentia) accelerant mortem.

Quod si accusator non vindictam, sed satisfactionem petat, cum protestatione nolle sangvinis effusionem pro damno illato sibi, propinqvis, domesticis, suæ Ecclesiæ, & quorum curam habet, non fit irregularis *c. Prælatis. de hô. in 6.* Neque fieret si ejusmodi malefactores caperet, ubi lateant indicaret &c. *Barbosa &c. ex Can. cit.*

Q. *Pugnantes in bello contrahutnè irregularitatem?*

R. Contrahitur per pugnantes in bello injusto dum aliquis in illo cadit, aut

aut mutilatur, & quidem per omnes, quia omnes ſunt cauſæ morales homicidii, aut mutilationis injuſtæ. Si verò in bello juſto neminem propria manu mactaverunt, aut mutilaverunt, non cenſentur eſſe irregulares: Sub ortô tamen dubiô utrum interfecerint, aut mutilaverint, cenſendi ſunt irregulares. *c. Conſtat. de homic.* Intellige de bello juſto offenſivo, nam in bello juſto defenſivo licet vim vi repellere nec ulla in eo incurritur irregularitas.

SECTIO XIII.

DE IRREGULARITATE EX DELICTO IN RECEPTIONE & USU ORDINIS.

Q. *Qui incurrunt irregularitatem ex delicto in receptione Ordinis?*

R. Incurrunt 1. Qui furtivè ordinantur, id eſt, qui eluſivè examen effugerunt, nec alias fuerunt approbati, vel admiſſi. *cap. Veniens. de iis, qui furtivè. &c.* 2. Qui majori excommunicatione innodati Ordinẽ Sacrum ſuſcipiunt. *cap. cum illorum de ſen. Ex.*

Q.

Q. *Sacrificium Missæ celebrans in Ecclesia interdicta, aut polluta, vel in loco profano sine licentia Episcopi, contrahitnè irregularitatem?*

R. 1. Celebrans Missæ Sacrificium in Ecclesia interdicta, quia agit contra censuram per actũ Ordinis Sacri, contrahit irregularitatem.

R. 2. Non contrahit verò quamvis graviter delinquat celebrans in Ecclesia polluta, aut in loco profano absque licentia Episcopi; quia de tali pœna nullibi constat. *c. Is, qui de sent. excomm. in 6.*

Quamvis ligatus excommunicatione minori graviter peccet si celebret, non tamen fit irregularis *c. si Celebrat. de Clerico excomm.* neque si minores Ordines exerceantur, quia hi & a Laicis promiscuè obeuntur; neque si suspensus Ordinem Sacrũ suscipiat, quia suspensio non privat receptione Sacramentorũ, sed tantùm Ordinis exercitio, & cap. *Cum illorum, de sent. excomm.* de solis excõmunicatis excommunicatione majori intelligendum.

* *

SECTIO

SECTIO XIV.

DE IRREGULARITATE EX ITERATIONE SACRAMENTI.

Q. *Quod Sacramentum reiteratum inducit irregularitatem?*

R. Solus Baptiſmus, propter quē reiteratum rebaptizati, & rebaptizantes fiunt irregulares. De rebaptizatis habetur expreſſum in Capite *Confirmando* relato ex Concilio V. Carthaginenſi diſt. 50. De rebaptizantibus verò extat caput *Literarum de Apoſtatis.* Cui pænæ non ſubjacent reordinantes, & reordinati, Confirmantes, & confirmati.

SECTIO XV.

DE DISPENSATIONE IN IRREGULARITATE.

Q. *Quis diſpenſare poteſt in irregularitate?*

R. In Irregularitate ex defectu ſolus Romanus Pontifex diſpenſat non incluſo defectu natalium, in quo Epiſcopus poteſt diſpenſare ad primā Tonſuram, minores Ordines, & Beneficia ſimplicia, puta non habentia annexam

curam

curam animarum. Verùm in Irregularitate ex delicto, quando crimen non est deductum ad forum contentiosum, exceptô nihilominus homicidiô voluntariô, non tamen casuali, recentis constitutionis Trid. *sess.* 24. *c.* 6. jure patrocinante potest dispensare.

SECTIO XVI.

DE JURE, & JUSTITIA.

Q. *Quid est Jus?*

R. Est facultas utendi re aliqua, illā retinendi, & in Judicio vindicandi.

Q. *Quotuplex est Jus?*

R, Duplex: Jus in re, & Jus ad rem. *Jus in re*, quod etiam dicitur *Reale* est potestas in re obtenta, & sibi obligata: *Jus* autem ad rem, est potestas ad rem primo obtinendam, & sibi obligandam. *Primum Jus* dat actionem (quæ est duplex realis, & personalis, reali insequitur in jure res vindicanda; personali verò persona ad rem tradendam, quæ vendita fuit, & nondum possessa) in rem ipsam; *Secundum*, seu *Jus ad rem* in personam tantum.

Q.

Q. *Quæ ſunt ſpecies Juris in re?*

R. Sunt ſequentes, videlicet Dominium, Uſus fructus, Servitus, Hypotheca, Pignus Emphyteuſis, Fæudum, Libellus, Superficies, & Poſſeſſio.

Q. *Quid eſt Dominium generaliter acceptum, & quotuplex?*

R. Eſt facultas diſponendi de re tamquam ſibi ſubjecta, & eſt duplex *Divinum* videlicet, quale competit DEO eſſentialiter ſuper omnes res creatas, & *Humanum*, quod habet homo in alias creaturas, per poteſtatem à DEO ſibi datã. *Dominamini piſcibus maris &c* Gen. 1.

Q *Quotuplex eſt Dominium Humanum*

R. Dominium Humanum, quod alio nomine Politicum appellatur, eſt duplex: Jurisdictionis, & proprietatis. *Jurisdictionis* eſt poteſtas gubernandi ſubditos; *Proprietatis* autem eſt facultas liberè diſponendi de re corporali, niſi lege aliud cautum ſit, ùt de Pupillo, qui hoc non poteſt ſine Tutore facere.

Q. *Quotuplex eſt Dominium Proprietatis?*

R. Duplex: Perfectum, & Imperfectum. *Perfectum*, quod alii plenum eti-

am

am vocant, eſt facultas perfectè de re aliqua diſponendi; *Inperfectum* autem è contra, quod tantùm habet facultatem imperfectè de aliqua re diſponendi. Vel quod habet proprietatem ſine emolumento rei, aut emolumentum rei abſque proprietate.

Q. *Quotuplex eſt Dominium Inperfectū?*

R. Duplex: Directum, & Utile. *Directum* eſt, quod continet nudam rei proprietatem, & tale habet Princeps in Feudis, Dominus in Prædio ad Emphyteuſim dato. Dominium *Utile* tantùm, continet præciſè ſolam rei utilitatem abſque proprietate, & tale eſt, quod habet Feudatarius, Emphyteuta &c. reſpectu illius rei, quam ab alio accepit in Feudum, Emphyteuſim &c.

Q. *Quid eſt uſus fructus?*

R. Eſt jus utendi re aliena ſalvâ ejus ſubſtantiâ. v. g. locator utitur, & fruitur domo aliena, verùm non poteſt illam diruere, deſtruere, aut alteri donare, vel vendere, ſicut Dominus, qui habet illius proprietatem, alias cujus eſt re ipſa.

Q.

Q. *Quid est usus?*

R. Est jus illud, quod competit alicui re aliena uti ad suum tantùm, & non ad aliorum commodum. Et minus competit juris usuario, quàm fructuario. Nam qui fundi nudum usum habet, aliud habere nihil intelligitur, quam ut oleribus, pomis, feno &c. ad quotidianam necessitatem utatur, non verò ex his aliquid potest alteri donare, aut vendere quemadmodū usufructuarius.

Q. *Quid est Servitus?*

R. Est jus, quod alicui competit in re aliena, ut sibi obsequatur præbens liberum transitum vectationem, aquæ ductum faciendum &c.

Q. *Quid est Hypotheca?*

R. Est quâ res immobilis datur ad possessionem, quousque datum pretium non exolvetur.

Q. *Quid est Pignus?*

R. Est quo res mobilis datur ad possessionem ad præstandam securitatē de solvendo pretio.

Q. *Quid est Emphyteusis?*

R. Est Contractus, quo res aliqua immo-

immobilis utenda, fruenda, & melioranda traditur, sub conditione certæ annuæ pensionis in recognitionem Dominii Directi.

Q. *Quid est Feudum?*

R. Est Contractus, quô traditur res immobilis pro servitio personali exhibendo, & fidelitate præstanda.

Q. *Quid est Libellus?*

R. Est Contractus, quô Emphyteuta vel Vasallus rem emphyteuticam, aut feudalem ab aliquo acceptam, dat tertio in emphyteusim, aut feudum.

Q. *Quid est Superficies?*

R. Est jus, quod quis habet superficiem fundi alieni, ut in eo ædificare possit. Proprietas autem domus superficiariæ pertinet ad Dominum fundi: verùm superficiarius habet dominium utile, id est usum fructum.

Q. *Quid est Possessio?*

R. Est pedum positio in aliquam rem, quia per hanc super bona immobilia, agrum videlicet, vel domum solet possessio acquiri. *l. 1. ff. de acquirenda, vel amitt. poss.*

Q.

Q. *Quotuplex est Possessio?*

R. Triplex: Juris tantùm, & facti tantũ, & juris & facti simul. *Possessio Juris tantùm* est ipsũmet jus possidendi rem solô animô retentũ v.g. in absente à bonis suis. *Possessio facti tantùm* est solus actus possidendi sine jure; eo quod hoc sit destitutus, qui rẽ alienã possidet *Possessio* verò *Juris, & facti simul* est rei corporalis detentio insistentiæ, animi, & juris adminiculô,

Q. *Qui sunt fructus Possessionis?*

R. Plures in jure adducuntur, & annotantur, verùm præcipuus & specialior est Præscriptio, quam aliqui usu capionem appellare consveverunt.

Q. *Quid est Præscriptio:*

R. Est acquisitio dominii, & juris rei alienæ per possessionem illius tempore à lege præscripto continuatam, quæ locũ habet etiam in foro interno.

Q. *Quæ conditiones requiruntur ad legitimam præscriptionem?*

R. Istæ quinque. 1. Ut res quæ acquiritur præscriptione, à jure non prohibeatur præscribi, utpote contraria Juri Divino, vel naturali. 2. Ut res, quæ

præ-

præſcribitur, poſſideatur. 3. Ut ſit legitimus titulus, ſive verus, ſive apparens, ut ſi emam quid ab illo, quem putabam eſſe rei dominum, interea fuit fur. 4. Ut ſit bona fides; poſſeſſor enim malæ fidei non præſcribit. 5. Ut ſit tempus ſufficiens ad præſcribendum.

Advertendum hic, quod dubitatio, quæ præcedit poſſeſſionem, impediat bonam fidem, ſecus, quæ ſupervenit, quia *melior eſt conditio poſſidentis* juxta Reg. Juris in 6.

Q. *Quale tempus prærequiritur ad Præſcriptionem?*

R. 1. Res mobiles cum titulo per poſſeſſionem triennalem bona fide continuatam præſcribuntur. *Inſt.* §. 1. *de uſu cap.*

R. 2. Res immobiles privatorum inter præſentes, id eſt ejuſdem Provinciæ præſcribuntur decennio; inter abſentes autem ut præſcribantur, requiruntur viginti anni. Ubi notandũ quod ad præſcribendum contra Eccleſiam, quæ non eſt ipſa Romana, contra hanc

enim

enim sola centenaria currit, requirantur quadraginta anni.

SECTIO XVII.

DE JUSTITIA.

Q. *Quid est Justitia & quotuplex?*

R. Jam dictum supra f. 15.

Q. *Quid est proportio Arithmetica, & quid geometrica?*

R. Proportio *Arithmetica* ducit æqualitatem numeri ad numerum, ut nimirum tantum reddat, quantum quis accepit v. g. si centum; tunc centum. Proportio autem *Geometrica* dat singulis quod debent habere secundum Statum præferendo unum alteri, ut plus accipiat Nobilis, quàm inferioris conditionis aliquis, quamvis in eadem occasione meritus uterque recompensationē.

SECTIO XVIII.

DE VITIIS JUSTITIÆ OPPOSITIS.

Q. *Quodnam Vitium Justitiæ Distributivæ opponitur?*

R. Opponitur acceptio personajuxta illud Jac. 2. *Tu sede hic tu sta illic.*

Q.

Q. *Quid est acceptio personarum?*

R. Est præferentia, qua in distributione bonorum communium non attenditur causa sed titulus, puta, Joanes, quia est amicus, plus accipiat, quàm Petrus.

Q. *Sub quali peccato non est licita acceptio personarum?*

R. Sub lethali, nisi parvitas materiæ ab hoc excuset; quia est proximo præjudiciosa injuriam scilicet afferens.

Q. *Rectenè agunt præsentantes ad Beneficia minus dignos, spretis dignioribus, vel etiam eligentes?*

R. Minus rectè, imo illicitè contra mentem Con. Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de ref.* ubi agitur de Beneficio curam animarum annexam habente. Quamvis etiam in non curatis Beneficiis hoc sustineri non possit utpote aperiens januam multis corruptelis, & abusibus. *Antoninus, Covarr. Nav. Caiet. &c.*

SECTIO XIX.

DE CONTRACTIBUS GENERICE.

Q. *Quot modis contractus sumitur?*

R.

R. Duobus: In ſtrictiori, & latiori ſignificatione. Dum ſumitur in ſtrictiori ſignificatione, parit utraque ex parte obligationem; ex una verò tantum, dum ſumitur in latiori.

Q. *Quid eſt Contractus genericè ſumptus?*

R. Eſt duorum, vel plurium in idem conſenſus, & beneplacitum.

Q. *Quid eſt Contractus in ſtricta ſignificatione acceptus?*

R. Eſt conventio duorum, vel plurium reciprocam pariens obligationem, ut emptio, venditio &c.

Q. *Quid eſt Contractus in latiori ſignificatione acceptus?*

R. Eſt conventio uni parti tantũ afferens obligationem, ut donatio, promiſſio.

Q. *Quotuplices ſunt Contractus?*

R. 1. In prima diviſione ſunt duplices, gratuiti videlicet, & oneroſi. *Gratuiti* ſunt, in quibus ille, in cujus favorem facti ſunt, ad nihil præſtandum tenetur, ut in donatione &c. patet. Contractus autem *Oneroſi* partes contrahentes utrinque obligant ad faciendũ,

dandum, reddendum &c. ſecundum conventionem factam.

R. 2. In ſecunda diviſione iterum ſunt duplices: Nominati, qui nomen peculiare à Jure habent, ut venditio, locatio &c. & Innominati, ut ſunt contractus: *Do, ut des; do, ut facias; facio, ut facias; facio, ut des.*

R. 3. In tertia diviſione æquè duplices ſunt Contractus, puta Abſoluti, & Conditionati *Abſoluti* fiunt abſque adjecta conditione & obligant abſolutè. *Conditionatis* ſolet addi conditio, & non obligant, niſi hæc fuerit impleta.

R. 4. In quarta diviſione adhuc ſunt duplices Contractus: Juſti, & Injuſti *Juſti* cum ſervatur æqualitas, & contrahentiũ conditio illam æquitatis ſervat libram, ut prudentum judicio ſimile ſit prout uni in ſpe lucrum ita & alteri; aut taliter uni ſicut & alteri periculum minatur. *Iniuſti* ſunt, qui faciunt unius præ altera parte deteriorem ſortẽ.

Q. *Qui ſunt qui contrahere poſſunt?*

R. Omnes habentes uſum rationis modo id eis à jure poſitivo non prohibea-

hibeatur prout prohibetur pupillo ſine Tutoris, uxori, ſine Mariti, Religioſo ſine Superioris licentia &c.

Q. *Quinam verò contrahere ad huc non poſſunt?*

R. Singuli uſum rationis non habentes, puta infantes, amentes, & ſtulti, aut furioſi. *L. In negotiis, ff. de reg. Jur.*

Q. *Quæ ſunt illa, quæ impedire valent conſenſum ad contractum requiſitum?*

R. Tria ſequentia. 1. Præter jam dicta Lex aut abſolute reddens perſonas inhabiles ad ineundum contractum Tutorem videlicet cum pupillo, maritum cum conjuge, & viceverſa, vel non patitur contractum celebrare niſi adhibitis conditionibus, ſeu ſolemnitatibus e. g. Matrimonium celebrare, niſi coram legitimo Parocho. 2. Metus injuſtus cadens in conſtantem virum. 3. Error, ſive dolus, & fraus.

Q. *Non adimpleta conditio, ſeu Solemnitas per legem appoſita facitnè conſenſum irritum, & per conſequens & contractum?*

R. Si illa ſolemnitas, ſeu conditio ſit omnino eſſentialis, ſine dubio irritat

utrumque, cum unum ab alio pendeat; contra verò utrumque manet in suo robore, si conditio tantùm sit accidentalis. Nam multa prohibentur, quæ facta tenent.

Q. *Quô pactô cognosci valeat, quod conditio per legem apposita sit essentialis, vel accidentilis?*

R. Cognoscitur 1. essentialis ex verbis ipsius legis, si positivè & expressè dicat contractum esse nullum nisi prius satisfiat damnificato v. g. per restitutionem rei ablatæ per Petrum, qui vult defactò contrahere. 2. Dato certum esse Legislatorem, nullam subrepsisse fraudem in contractu v.g. Matrimonio clandestino, tamen si illud declaret esse irritum. Cognoscitur autem accidentalis solemnitas, seu conditio per legem adjecta, quando lex ita mandat, quod tamen illa non adimpleta contractus non habeatur nullus, puta si matrimonio tres denunciationes non præmitterentur.

Q. *Metus invalidatnè Contractum?*

R. Contractus metu gravi, & injusto

justo celebrati jure positivo possunt irritari, sed actu ad præsens non sunt irriti, exceptô matrimoniô, & ProfessioneReligiosâ, quæ duo ex metu gravi, & injusto nullum generant effectum. Cod. *de his, quæ vi.*

Q. *Error, aut dolus invalidatnè contractum?*

R. Error aut dolus, si versatur immediatè circa substantiam rei, adeoque si esset substantialis, ut si quis putaret proram auream, & illa reipsa esset cuprea, in tali casu contractus esset nullus quia abest consensus volentis emere proram auream, non autem cupream. Secus dicendum de errore accidentali, quia ibi adest sufficiens cognitio rei, & consensus in eam.

Si verò dolus contigit ex altero contrahente, rescindi debet contractus instante parte decepta, & qui decepit obligatur reparare damna ex dolo subsecuta.

Verùm si error contigit sine culpa, puta ab altero contrahente, aut per tertium intervenientem, contractus manere debet illæsus saltem in foro in-

terno,

terno, & refudendus est tantum excessus pretii, ut æqualitas rehabeatur.

Q. *Quam obligationem post se trahit contractus?*

R. Et naturalem, quod obliget in conscientia, & Civilẽ, quod conveniri possit in foro externo per actionẽ, qui non stat contractui inito. Minorennes tamen ætate, & pupilli pubertati proximi civili hic non subjacent obligationi sed tantum naturali, quæ obligat in conscientia, ut parti læsæ satisfactionem faciant. *de inut. Stip. §. Pupillus.*

SECTIO XX.

DE CONTRACTIBUS PARTICULARITER.

Q. *Quæ sunt species Contractuum?*

R. Sequentes: Hypotheca, Pignus, Emphyteusis, Feudum, Libellus, de quibus jam supra dictum f. 171. Promissio, Donatio, Depositum, Mutuum, Commodatum, Locatum, Sponsio, Ludus, Assecuratio, Fidejussio, Contractus societatis, Census, Cambium, Usura, Monopolium, Testamentum,

tum, Condicillus, Precarium, Emptio, & Venditio, ac Legatum.

Q. *Quid est Promissio?*

R. Est Contractus, quo pollicetur unus alteri quidpiam sponte, & libere.

Q. *Quid est Donatio?*

R. Est Liberalis datio alicujus rei non debitæ ex justitia cum translatione dominii ejusdem in alium.

Q. *Quid est Depositum?*

R. Est Contractus, quô quidpiam mobile in custodiam datur.

Q. *Quid est Mutuum?*

R. Est Contractus, quô transfertur dominium rei in alterum cum obligatione reddendi veniente tempore aliam ejusdem speciei, in numero pondere, bonitate, & mensura consistentẽ.

Q. *Quid est Commodatum?*

R. Est Contractus, quô usus alicujus rei gratis conceditur absque dominii translatione.

Q. *Quid est Locatum?*

R. Est Contractus, quô traditur usus rei ad tempus determinatum, cum

pacto

pacto ſolvendi pretii annualis abſque dominii tranſlatione.

Q. *Quid eſt Sponſio?*

R. Eſt Contractus in quo de veritate, aut eventu cujuſpiam rei futuro certantes, ſibi invicem aliquid promittunt, ut ejus fiat qui veritatem aſſcquetur, ſecluso omni dolo, & fraude.

Q. *Quid eſt Ludus?*

R. Eſt Contractus, quô ludentes inter ſe conveniunt, ut Victor accipiat, quod ab utroque eſt depoſitum.

Q. *Quid eſt Aſſecuratio?*

R. Eſt Contractus quô quis rei alienæ in ſe periculum ſuſcipit obligando ſe ad reparandum damnum in caſu rei perditæ.

Q. *Quid eſt Fideiuſſio?*

R. Eſt Contractus, quô quis obligationem alienam in ſe ſuſcipit, obligando ſe in defectu principalis ad præſtandum totum, pro quo cautionem dedit.

Q. *Quid eſt Contractus Societatis?*

R. Eſt Contractus, quô duo, vel plures conveniunt contribuentes ad lucrum

erum commune ſervata proportione mutuo diſtribuendum, vel damnum ſubeundum.

Q. *Quid eſt Cenſus?*

R. Eſt Contractus tribuens jus percipiendi penſionem annuam ex re, aut perſona alterius.

Q. *Quid eſt Cambium?*

R. Eſt Contractus, quô commutatur pecunia cum pecunia cum legitimo lucro. Eſtq; duplex *Reale*, dum pecunia pro pecunia realiter commutatur; & *Sicum*, carens alias humore licito, dum fingitur ſolutio facienda, alibi, ſed reipſa fit in eodem loco. Et tale cambium eſt illicitum.

Q. *Quid eſt Uſura?*

R. Eſt lucrum ex mutuo immediatè proveniens indefinitè ſive modicũ, ſive immodicum.

Q. *Quali Jure eſt prohibita Uſura?*

R. Divinô (ut habetur Levit. 25. *Nec accipias uſuras ab eo, nec amplius, quam dediſti*) & Naturali, ac humano Eccleſiaſtico. *Cap. ſuper eo de uſuris* Qui enim re mutuata negotiatur, negotiatur tamquam

ſua,

ſua, adeoq; illicitum eſt eripere de manibus id quod ſupervenit alteri de ſuo.

Q. *Licetnè accipere pecuniã ſub Uſura?*

R. Ex S. Thoma 2. 2. qu. 78. a. 4. Licitum eſſe, ſi mutuans ſit in gravi neceſſitate mutuandi; ſecus dicendum, ſi non indigeat, ſed tantùm ex mera cupiditate mutuum petat.

Q. *Quotuplex eſt Uſura?*

R. Duplex: 1. Aperta, & palliata, ſeu velata aliquô honeſtô titulô, puta donationis, cambii, ſocietatis, venditionis ſupra juſtum pretium rigoroſè, ob dilatam ſolutionem, aut emptionis infra pretium infimum ob anticipatam ſolutionem. 2. Uſura alia eſt realis, alia mentalis. *Realis*, quæ ex mutuo deducitur in pactum, ſive expreſſè, ſive tacitè. *Mentalis*, quæ per mutuum principaliter intenditur, ſed in pactũ non deducitur.

Q. *Eſtnè obligatio reſtituendi pro uſura quamvis mentali tantùm?*

R. Eſt. Et colligitur ex illo, quod habetur cap. *Conſuluit. de Uſur.*

Q. *Quæ Cauſæ excuſant ab Uſura?*

R. Iſtæ quatuor à Doctoribus aſ-

ſigna-

ſignatæ. 1. Lucrum ceſſans. 2. Damnũ emergens. 3. Periculũ amittendæ ſortis principalis 4. Pæna ſub cujus mulcta conventum fuit mutuum præſixo tempore reſtituendum.

Q. *Quid eſt Monopolium?*

R. Eſt contractus illicitus, quô duo, vel plures Mercatores conveniunt inter ſe propria voluntate, & authoritate ad coemendum merces certi generis, illaſque majori pretio divendant efficiendo, ut vix alibi aquiri poſſint. Eſt tamen licitum ſi fiat publica Magiſtratus Authoritate, ob cauſam juſtam.

Q. *Quid eſt Teſtamentum?*

R. Eſt noſtræ voluntatis juſta ſententia de eo, quod de bonis noſtris poſt mortem fieri volumus cum inſtitutione hæredis.

Q. *Quid eſt Codicillus?*

R. Eſt ultima voluntas de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult, abſque hæredis inſtitutione.

Q. *Quid eſt Precarium?*

R. Eſt quod precibus petenti u-

tendū conceditur, quā diu, is,qui concessit patitur.

Q. *Quid est Emptio?*

R. Est Contractus quô dominium alicujus rei pro certo pretio aquiritur.

Q. *Quod est Justum, aut injustum rei venalis pretium?*

R. Pretium quod æquat rei venalis valorem secundùm communem hominum æstimationem, est justum, quod verò non æquat, est injustum.

Q. *Estnè licitum maiori pretio vendere credito?*

R. Non, nisi inde lucrum cesset, aut damnum emergat; quia restanti non valet quanti emitur.

Q. *Quotuplex est pretium?*

R. Duplex: Legale, quod Magistratus constituit consistens in indivisibile, quod non licet augeri, aut minui: Aliud naturale, seu vulgare; quod ex hominum æstimatione ortum habet cum latitudine; quia homines variè de rebus judicant, ita, ut quod alii censent valere quinque florenis, alii æstimant sex, alii etiam septem.

Q. *Unde potest augeri rerum venalium pretium?*

R. Ex his occurrentiis: 1. Ex penuria, vel copia mercium. 2. Ex pecuniæ abundantia vel raritate. 3. Ex multitudine emptorum, & paucitate vendentium, & è contra. 4. Ex modo vendendi. Vilius enim res venduntur sub hasta, & voce præconis, quàm apud mercatorem. Contra verò quando minutatim, & per partes, carius venduntur, quàm in magna quantitate. 5. Ex majori, vel minori ementium indigentia, modo tamen communis sit.

Q. *Quid est Venditio?*

R. Est alienatio, per quam transfertur rei dominium, & possessio pro certo pretio ab uno in alium.

Q. *Quæ sunt res venales?*

R. Omnes res pretiô æstimabiles, dummodo non obstet aliqua lex Civilis, aut Ecclesiastica.

Q. *Quales res vendere non licet?*

R. Quæ in usus malos tantum sunt ordinatæ ex natura sua.

Q. *Licitè ne faciunt Caupones, aut Laniones*

niones vendendo, aut præbendo carnes diebus quibus illis vesci est prohibitum ab Ecclesia?

R. Jllicitè, nisi habitô certô fundamentô credi posse illos, quibus vendunt, aut præbent dictas carnes, legitimam excusationem habere.

Q. *Licitenè faciunt Caupones cœnam parando pro illis, quos sciunt à Jeiunio non excusari, quia, si non parabunt, lucrum deperdent; ex quo vivunt?*

R. Jllicitè, quia præbent aliis occasionem peccandi. Qui enim occasionem damni dat, damnum dedisse videtur. *c. Si culpa. de pœnit.*

Q. *Estnè obligatus Caupo interrogare an, quibus, diebus vetitis cœnam parat à Jeiunio sint exempti, & incurritnè reatum hanc diligentiam omittens?*

R. Ordinarie reatum conscientiæ non incurrit Caupo cœnam diebus vetitis præparans; cum varias ob causas talibus diebus sine peccato hospites transeuntes valeant cœnare, de quibus indagare Caupo non est obligatus.

Q. *Cuius speciei peccatum committit rem*

vendens

vendens habens certum fundamentum ementem talem rem in usum illicitum adhibere velle?

R. Illius peccatum est illius speciei, cujus est peccatum illius qui emit, juxta Can. notum. 2. qu. 1. *Facientem, & consentientem pari pœna constringi.*

Q. *Quid est Legatum?*

R. Est donatio a testatore relicta, & ab herede præstanda cui facta est, id est donatario.

Q. *Suntnè adhuc aliquæ species Contractuum nominatorum?*

R. Sunt sequentes: Falcidia, Trebellianica, Montes Pietatis, Mohatra, Antichrisis, & Pactum Legis Commissoriæ.

Q. *Quid est Falcidia?*

R. Est quarta pars bonorum, quæ aderant tempore mortis Testatoris, deducta a Legatis ære alieno, & expensis funerum.

Q. *Quid est Trebellianica?*

R. Est detractio à Fidei commissis factis à Testatore, ut remaneat quarta pars bonorum libera hæredibus post debitorum, & funeralium solutionem remanentium.

Q.

Q. *Quid est Contractus Mohatra?*

R. Est venditio mercium credito altiori pretio volenti pecuniam mutuare cum onere, ut adveniente tempore illas reemat venditor minori solito pretio. Talis Contractus est Usurarius, & ideo illicitus.

Q. *Quid sunt Montes Pietatis?*

R. Sunt æraria publica constituta, ut ad illa indigentes, quasi ad montes confugiant, ne tanto gravius ab Usurariis, signanter Hebreis opprimantur. Laudatissima.

Q. *Quid est Antichrisis?*

R. Est Conventio inter Creditorem, & Debitorem, ut Creditor tamdiu pignore uti, & fructus ejus percipere valeat, donec debitum rehabeat. Jllicita utpote Usuraria.

Q. *Quid est Pactum Legis Commissoriæ?*

R. Est Conventio inter Creditorem, & Debitorem, ut si intra certum tempus debitum non fuerit restitutum, Pignus omni jure cedat Creditori. Et hoc æque est illicitum, & velut usurarium reprobatum.

APPA-

APPARATUS IV.

De Iis,

quæ ſunt ſcitu neceſſaria

Ad Sacrum Ordinem Presbyteratûs promovendis.

SECTIO I.

DE SACRO ORDINE PRESBYTERATUS.

Q. *Quid eſt Presbyteratûs?*

R. Eſt Ordo Sacer, per quem accipitur poteſtas Corpus Chriſti, & Sangvinem Jllius conſecrandi, & peccata hominibus remittendi.

Q. *Quotuplex eſt materia Presbyteratûs?*

R. Duplex: Remota, & Proxima. *Remota* eſt duplex: Una eſt Calix cum vino, & patena cum hoſtia; Altera eſt manus Epiſcopi. *Proxima* etiam eſt duplex: Una eſt traditio calicis cum patena quæ habet hoſtiam ſupra ſe collocatam, & Calix vinum in ſe contentum; & altera eſt impoſitio manus Epiſcopi. Forma

 quo-

quoque Presbyteratûs est duplex: Una sub traditione calicis cum vino, & patena cum hostia consistens in Verbis ab Episcopo prolatis: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium DEO, Missasque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini.* Alia sub impositione manus Episcopi consistens in verbis sequentibus: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.*

Q. *Qualis debet esse tactus materiæ, puta calicis, & hostiæ in patena?*

R. Physicus, sufficit tamen mediatus. Hinc si Ordinandus tangat calicē, & patenam, ubi est hostia, non verò immediatè ipsam hostiam validè ordinatur; quia satis dicitur tangere, & acceptare hostiam, dum tangit, & acceptat vas in quo est hostia; similiter vinum, dum tangit calicem in quo est. Similiter valeret ille tactus, dum tangeretur tantum calix, & non patena: quia protunc calix est quid continens respectu contentorum, puta vini in se existentis, & patenæ cum hostia supra se

collo-

collocatæ; ſecus ſi tangeretur tantùm patena: hæc enim eſto ſit continens hoſtiæ contentæ; non tamen calicis, & vini in illo contenti.

Q. *Quotuplex eſt illa poteſtas, quam accipit Presbyter in ſua Ordinatione?*

R. Duplex: Una in corpus Chriſti phyſicum per traditionem calicis. Altera in corpus Chriſti myſticum per impoſitionem manus Epiſcopi. Corpus Chriſti myſticum ſunt fideles, quorum ſupremum caput eſt Chriſtus.

Q. *Si Presbytero daretur prima poteſtas abſque ſecunda, validane eſſet eius Ordinatio?*

R. Valida; quia prima poteſtas non neceſſario dependet a ſecunda: in tali tamen caſu non poſſet validè abſolvere à peccatis utpote carens quoad hoc omni poteſtate. Si verò ſecunda illi daretur, & non prima poteſtas, talis ordinatio eſſet invalida; quia poteſtas fideles abſolvendi à peccatis, neceſſario præſupponit poteſtatem primam, quæ eſt poteſtas in Corpus Chriſti verum; in illa enim fundatur, quemadmodum namque etiam Chriſtus Dominus prius

primam poteſtatem dedit Apoſtolis in ultima cæna; ſecundam verò poſtquam à mortuis reſurrexiſſet. Joann. 20.

Q. *Quid obſervare debent Presbyteri in ſua Ordinatione cum Epiſcopo celebrantes?*

R. Ut vitent omnia pericula, & conſcientiæ inquietudinem, 1. intendant formas conſecrationis recitare omni meliori modo, quem intendit Eccleſia. 2. Nullatenus præveniant Epiſcopum in prolatione verborum Conſecrationis, ſed curent cum illo ſimul abſolvere. 3. Habeant intentionem conſecrandi eandem hoſtiam, ſi ſimul cum Epiſcopo abſolvent formam, alias proferendi verba tantum materialiter, in ſignum poteſtatis ſibi conceſſæ.

Q. *Debentnè Presbyteri Ordinandi legere Miſſam cum Epiſcopo in ſua Ordinatione flexis genibus?*

R. Juxta Statutum S. R. C. 20. Septembris 1749. debent: non tamen obligati ſunt illam inchoare cum Ordinante à principio ſtatim, ſed ſatis eſt illam incipere ab offertorio panis dicendo: *Suſcipe Sancte Pater &c.* S. R. C. loc. cit.

cit. neque faciendæ ſunt Cruces, genuflexiones, & aliæ actiones, quas Epiſcopus facit.

Q. *Quis, & quando instituit Ordinem Presbyteratûs?*

R. Chriſtus Dominus in ultima cæna panem in corpus, & vinum in ſangvinem ſuum convertens contulit Apoſtolis dignitatem Sacerdotii, & poteſtatem conſecrandi, dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod verò attinet corpus myſticum, contulit Chriſtus poteſtatem Apoſtolis primò poſt reſurrectionem ſuam dicendo: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Q. *Quot ſunt effectus Presbyteratûs?*

R. Tres præcipui: 1. Gratia habitualis, ſecunda Character. 3. Gratia Sacramentalis, & hi effectus ſunt communes omnibus ſeptem Ordinibus.

Q. *Quod eſt Officium Presbyteri?*

R. Præcipuum, & primarium Officium Presbyteri eſt, conſecrare corpus, & ſangvinem Domini noſtri JESU

Chri-

Christi. Alterum absolvere pænitentes à peccatis habita prius legitima jurisdictione. Insuper officii Sacerdotis, seu Presbyteri est, Sacramenta dignis administrare, benedicere, baptizare, populum DEI opere, doctrinâ, & exemplô pascere, & urgente necessitate pias preces pro illo ad DEUM fundere, & alia pietatis opera impensius exercere.

Q. *Quid est Presbyter?*

R. Est Vir in præeminenti gradu Ecclesiæ constitutus habens potestatem consecrandi Corpus, & Sangvinem Christi, & fideles pænitentes absolvendi à peccatis.

SECTIO II.

DE POTESTATE PRESBYTERI IN CORPUS CHRISTI MYSTICUM.

Q. *Quotuplex est Potestas Presbyteri in Corpus Christi Mysticum?*

R. Duplex: Ordinis, & Jurisdictionis. *Ordinis* est illa, quam quilibet Presbyter accipit in Ordinatione sua per impositionem manuum Episcopi: *Jurisdictio-*

dictio-

dictionis verò est jus quoddam in subditos exercendæ potestatis absolutionis, quam vi Ordinis Presbyter habet. Per primam accipit potestatem judicandi spiritualiter; per secundam autem datur ipsi potestas subditos judicandi.

Q. *Quotuplex est potestas Jurisdictionis?*

R. Duplex: Alia Ordinaria, & alia delegata. *Ordinaria* est illa, quæ competit alicui ratione sui Officii: *Delegata* verò, quæ habetur vi concessionis factæ ab habente ordinariam jurisdictionem. Et hanc habent Religiosi curam animarum non habentes, in pœnitentes sæculares.

Q. *Quinam habent Jurisdictionem Ordinariam?*

R. Hanc habet I. Papa respectu totius Ecclesiæ, 2. Nuncii Apostolici respectu Territorii suæ Nunciaturæ 3. Episcopus, & ejus Vicarius respectu suæ Diæcesis. 4. Parochus respectu suæ Parochiæ. 5. Superiores respectu suorum subjectorum. 6. Generalis respectu Ordinis. 7. Provincialis respectu Provin-

ciæ.

ciæ. 8. Prior reſpectu Familiæ ſui Conventus.

Q. *Presbyter non habens Jurisdictionem poteſtnè ſaltem aliquando abſolvere?*

R. In articulo mortis tantùm, qui eſt illud tempus, quo mors certo inſtat, eſtque inevitabilis; vel imminet illius periculum, quod prudenter timetur: alias nunquam nec licitè nec validè.

SECTIO III.

DE APPROBATIONE CONFESSARII.

Q. *Quid eſt Approbatio?*

R. Eſt judicium declarativum de aptitudine Presbyteri excipiendarum Cofeſſionum.

Q. *Per quid diſtingvitur Approbatio à Jurisdictione?*

R. Quia 1. per approbationem judicatur Presbyter aptus, jam verò per jurisdictionem judex conſtituitur Spiritualis. 2. Quia approbatio includit in ſe contentam jurisdictionem, non autem jurisdictio approbationem.

Q. *Ad quid neceſſaria eſt Approbatio Presbytero in Corpus Myſticum, cum non requiratur in Corpus verum?*

R.

R. Quia 1. poteſtas in fideles eſt poteſtas judicialis, quæ petit forum, & ſubditos judicandos; non poteſt autem aquirere forum aliquis, neque poteſt illi quis committi judicandus, quin ipſe prius pro hoc idoneus eſſe cenſeatur. 2. Poteſtas in corpus Chriſti verum poteſt exerceri abſque præjudicio alterius; non verò poteſtas in fideles ſine præjudicio Epiſcopi, aut Parochi.

SECTIO IV.

DE CONFESSARIO.

Q. *Quid eſt Confeſſarius?*

R. Eſt Presbyter gaudens poteſtate abſolvendi fideles à peccatis in Sacro Tribunali.

Q. *Quot perſonas gerit Confeſſarius?*

R. Tres: Judicis, Medici, & Doctoris. Nam ùt *Judex* debet diſcernere gravitatem peccati, & pro illo competentem ſatisfactionem aſſignare: Ut *Medicus* tenetur conſcientiæ, & animæ pænitentis mederi dando opportuna remedia contra morbos peccatorum.

Ut

Ut *Doctor* tandem, obligatur ignorantē docere.

Q. *Quid præterea debet facere Confessarius, ut Judex Spiritualis?*

R. Debet de numero (si non dicit pænitens) & circumstantiis peccatorum speciem mutantibus, & in longum aggravantibus, indagare; lepram inter, & lepram, hoc est, mortale quod, & quod veniale discernere; indispositum pænitentem disponere, ac tandem dispositum injuncta salutari pænitentia absolvere.

Q. *Quid requiritur, ut Confessarius valide administret Sacramentum Pænitentiæ?*

R. Hæc tria: 1. Ut sit Sacerdos approbatus à Loci Ordinario. 2. Ut habeat intentionem actualem, vel saltem virtualem. 3. Ut habeat materiam, & Formam debitè proferat.

Q. *Quid requiritur, ut Confessarius licitè administret Sacramentum Pænitentiæ?*

R. Status gratiæ, scientia, & prudentia conveniens. Qui enim in peccato mortali Confessiones excipit, peccat mortaliter: Verùm non pluries, quam-

quamvis plures una sessione pro sacro Tribunali absolvat; quia semel se tantum exposuit singulorũ excipere Confessiones.

SECTIO V.

DE SCIENTIA, & PRUDENTIA CONFESSARII.

Q. *Requiriturnè in Confessario scientia?*

R. Omnino. Cæcus enim si cæco ducatum præbeat, juxta Christi Domini effatum, ambo in foveam cadunt.

Q. *Quid est Scientia?*

R. Est doctrina rerum non omnibus communium, cujus adminiculô intellectus humanus tanto magis perfectior evadit, quantô hæc major habetur.

Q. *Quotuplex est Scientia?*

R. Triplex: Eminens, mediocris, & sufficiens. *Eminens* est, cujus quis adminiculô promptè difficultates quaslibet resolvit. *Mediocris* est, cujus adminiculô quis libros revolvendo in difficilibus assequitur veritatem. *Sufficiens* est, cujus adminiculô convenienter quis explicat, quæ explicare debet vi sui officii.

Q.

Q. *Quidnam in particulari ſcire debet Confeſſarius?*

R. Iſta, quæ ſeqvuntur: 1. Quæ ſunt peccata ex genere ſuo mortalia, & quæ venialia. 2. Quæ ſunt circumſtantiæ ſpeciem peccati mutantes, & quomodo numero diſtingvantur. 3. Debet ſcire regulas communes, quibus quis excuſari poſſit à peccato mortali. 4. Debet ſcire caſus reſervatos, tam Epiſcopo, quã ſummo Pontifici. 5. Debet ſcire, quæ ad legitimam Sacramentorum requiruntur, præcipuè aut Pænitentiæ, adminiſtrationem. 6. Debet ſcire Articulos fidei, maximè neceſſarios neceſſitate medii, ut ſuos pænitentes, ſubinde hos neſcientes, inſtruat. Ultimo: debet callere ſingula, quæ concernunt ipſummet Confeſſarium, pænitentem, & peccata.

Q. *Qualis Prudentia eſt neceſſaria Confeſſario?*

R. Qualem ſolet adhibere vir gravis in obeundo aliquo momentoſo munere. Hinc maxime curare debet, ne dum quærit ſalutem pænitentium, ſuæ

inte-

interim jacturam patiatur. Propterea 1. Det operam, ut conſcientiæ puritatem retineat, devotè invocet aſſiſtentiam Spiritus Sancti. 2. Ardentem zelum habeat procurandi ſalutem animarum, & honoris DEI promovendi. 3. Cautus ſit in interrogationibus faciendis, ne ignorantes peccare doceat, & ſibi det occaſionem peccati. 4. Rudiores pænitentes juvet ſvaviter modô, quem advertit, neceſſario. 5. Recidivis, & in occaſione proxima ſtudio exiſtentes, pro opportunitate deneget abſolutionem. 6. Attendat denique ne ſicut per exceſſum, ita defectum huic tam ſancto officio imcumbens delinquat: & generaliter ſciat quia

Confeſſor debet eſſe pius, prudens, affabilis atque
Diſcretus, dulcis, tum gratus, tumque benignus.

SECTIO VI.

DE RESERVATIONE CASUUM.

Q. *Quid eſt Reſervatio Caſuum?*

R. Eſt limitatio ſeu reſtrictio juriſdictionis in Confeſſario ne certos caſus abſolvat, quod ſi audeat præſumptuoſè

ptuosè absolvere, incurrit excommunicationem summo Pontifici reservatam privationem dignitatum, & officiorum, sitq; ad alia inhabilis. *Rotari.*

Q. *Quid est ipse Casus reservatus?*

R. Est peccatum mortale opere externo consumatum, ad cujus absolutionem Confessariis jurisdictio est denegata.

Q. *Quid requiritur, ut casus videatur reservatus?*

R. Requiruntur sequentia quatuor. 1. Ut Actus sit mortaliter malus; peccata enim venialia cum non sint materia necessaria Confessionis Sacramentalis, reservari, aut retineri non possunt. Hinc si peccatum pænitentis, non pertingit (advertendum Confessario) ad malitiam, quæ sit mortalis, ratione imperfectæ deliberationis, insufficientis consensus, aut materiæ parvitatis, poterit absolvi, quod æque habet hic locum dubium probabile, peccavitne, an non? 2. Actus debet esse exterior; quia Ecclesia non judicat de internis. 3. Neque sufficit quod ex corde

de prosilierit, ſed preterea requiritur, ut peccatum ſit opere conſumatum, niſi aliter in prohibitione expreſſum fuerit. 4. Requiritur, ut peccatum ſit à puberibus puta decimo quarto maſculis, & feminis duodecimo completo, commiſſum.

Q. *Penesquem manet facultas abſolvendi à reſervatis?*

R. 1. Penes reſervantem, & quibus ille jurisdictionem delegavit ſpecialem.

R. 2. In Articulo mortis, quilibet Sacerdos etiam excommunicatus, degradatus &c. poteſt abſolvere ab omnibus, & qualibuscunque peccatis, ſi deſit alius Sacerdos approbatus. *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 7.

R. 3. Epiſcopi ſecundum deciſionem laudati Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 86. de refor. poſſunt abſolvere ab omnibus peccatis, & cenſuris Summo Pontifici reſervatis, ac irregularitatibus, non quidem ex defectu, ſed ex delicto (homicidiô voluntariô exceptô) modo

illa

illa delicta non sint ad forum contentiosum deducta.

R. 4. Absoluto in Articulo vel periculo mortis à reservatis si convaluerit, nihil amplius restat, sed à censuris, cum hæ indirectè tantùm protunc sublatæ fuerint, absoluto incumbit onus se præsentandi, ad quem de Jure, cum primum poterit, hoc siquidem lex Sacrorum Canonum mandat, ut excommunicatus satisfaciat Ecclesiæ, & salutarem medicinam recipiat, quod si non facit reincidit in novam excommunicationem.

SECTIO VII.

DE SIGILLO CONFESSIONIS.

Q. *Quid est Sigillum Confessionis?*

R. Est secreti Sacramentalis tenacissimum silentium omni jure, puta naturæ, Divino, & Ecclesiastico stringens non revelandi audita in Confessione, in omni casu excogitabili.

Q. *Quare tam strictè hoc secretũ obligat?*

R. Ex duplici fine 1. Ne pænitens damnum infamiæ, vel cujuscunque in-

com-

commodi patiatur. 2. Ne Sacramentum Pænitentiæ inde odiosū reddatur.

Q. *Quot modis violaretur sigillum Confessionis?*

R. Hîs duobûs: 1. Cum Confessarius apertè propalaret aud ta in Confessione sub sigillum cadentia. 2. Cum Confessarius ita se gerit, ut possit alter in notitiam peccati pænitentis devenire sive in specie, sive in confuso, quod fieret denegando ei publice Communionem, vel ob peccatum occultum publicam pænitentiam imponendo; aut dicendo hunc vel illum sine absolutione à se dimississe &c.

Q. *Interrogatus Confessarius de peccatis pænitentis, quid respondere debet?*

R. Respondere debet se nihil scire, (sub intelligendo quod esset licitè revelandum) aut respondeat: quam primum pænitens à me recedit, omnium obliviscor. Quod si requiratur utrum hunc absolverit? Dicat functum se fuisse suo officio.

Q. *Potestnè Conessarius loqui de peccatis pænitentis auditis in Confessione?*

R. Non potest sine illius licentia; quæ si accederet, fieri debet propter majus emolumentum, spirituale pænitentis.

Q. *In quos adhuc, præter Confessarium, cadit obligatio Sigilli Confessionis?*

R. Cadit 1. in illos, quos, de licentia pænitentis, consuleret Confessarius. 2. Adstantes ad Confessionale, & confessa peccata audientes. 3. Interpres, per quem in aliena patria, ob ignorantiam linguæ Confessio fieret. 4. Laicus audiens Confessionem fingendo se esse Presbyterum. 5. Inveniens chartã peccatorum exaratorum pro Confessione, quam sub gravi peccato sicut legere non debet, ita nec manifestare in illa descripta, & contenta.

SECTIO VIII.

DE INDULGENTIIS, UBI ET DE JUBILÆO.

Q. *Quid sunt Indulgentiæ?*

R. Est condonatio pænæ temporalis peccatis in Sacramento pænitentiæ remissis, debitæ, aut hic, aut in altera vita

vita luendæ, facta ab eo, qui habet potestatem dispensandi spiritualem thesaurum Ecclesiæ.

Q. *Quid est thesaurus Ecclesiæ?*

R. Est congeries bonorum spiritualium, cujus dispensatio credita manet penes Ecclesiam.

Q. *Quæ sunt illa bona Spiritualia?*

R. Sunt merita primò Christi Domini propter nos, cum esset dives, egeni facti, ut inquit Apostolus 2. Cor. 8. ut illius inopiâ divites essemus; deinde omnium Sanctorum, & Justorum etiam hanc vitam adhuc viventium, secundũ sensum Clementis VI. in Extrav. *Unigenitus.* de Pænit. & Remiss.

Q. *Quæ Causa, quòd etiam merita Sanctorum in illo thesauro inveniantur reposita, cum alioquin merita Christi sint infinita?*

R. Ideò inveniuntur reposita, ut denotetur Communio Sanctorũ in Ecclesia juxta Symbolum Apostolorum, quæ est corpus Christi mysticum, ut ait laudatus Apostolus Ephes. 1. 23. Quia verò membra pro se mutuo sunt sollicita, fideles mutuo juvant orationibus,

bonis operibus, & satisfactionibus, ex quibus partim conflatur thesaurus Ecclesiæ conjunctis cum meritis Christi, qui tamquam Caput fidelibus membris suis tribuit Spiritum, motum, & meritum. *Conc. Trid. sess.* 14. c. 8.

Q. *Habeturnè in Ecclesia potestas distribuendi, seu dispensandi illum thesaurum?*

R. Est dogma fidei, quod habeatur, & patet ex decisione Concilii Constantiensis contra Wiclefum, & Concilii Trid. *sess.* 35. contra pseudo reformatos. Ipse etiam Christus Matth. 18. dicit: *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo.*

Q. *Condonanturnè pœnæ temporales Justitiæ Divinæ debitæ, & in altero sæculo subeundæ per Indulgentias?*

R. Condonantur omnino juxta illud cit. Matth. 18. *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta, & in Cælo.*

Q. *Quid requiritur, ut Indulgentiæ validè obtineantur?*

R. Legitima causa; sine hac enim ut docent communiter Theologi, In-

dulgen-

dulgentiæ ſunt irritæ coram DEO, nec expungitur pœnæ reatus in Purgatorio ſubeundæ.

Q. *Quid requiritur ad conſequendas Indulgentias, & quando conceſſarum tempus incipit?*

R. Sequentia: 1. Puritas conſcientiæ ab omni peccato mortali. Hinc in Bullis pro Jubilæo Indulgentiæ conceduntur *Contritis*, & Confeſſis. Quinimo ad obtinendum totalem fructum Indulgentiæ, neceſſaria eſt etiam immunitas conſcientiæ ab omni peccato veniali; cuilibet enim peccato etiam minimo debetur pœna, quæ remitti non poteſt remanente culpa, & affectu ad illam. 2. Peragenda ſunt illa omnia ad amuſſim, quæ præſcribuntur in forma conceſſæ Indulgentiæ intra tempus præſignatum, niſi forte judicio Confeſſarii (tempore Jubilæi) differetur abſolutio. In omnibus autem indulgentiis tam plenariis, quam particularibus ad ſeptennium conceſſis, debet computari & continuari ſeptennium à die dati Brevis Apoſtolici, etiamſi infra dictum ſeptennium annus Sanctus occurrat, in quo omnes

mnes Indulgentiæ pro vivis ſuſpenduntur. Ita Benedictus XIII. declaravit die 9 Febr 1725. in ſuo Decreto referente Kreſſlinger apud Reiffenſtuel, atque ita etiam in ante S. Congr 1711. annuente Sanctiſſimo Domino die 18. Maji reſolvit *Idem ibid.*

Q. *Status gratiæ eſtnè neceſſarius tamquā conditio prærequiſita, ut rite peragantur opera, quæ in Conceſſione Indulgentiarum imponuntur?*

R. Non eſt neceſſarius, ſed ſatis eſt, ut peragantur animo, qui verè pœnitens, & ab affectu peccati mortalis alienus ſit, dummodo ultimum opus impleatur ab homine contrito, & confeſſo.

Q. *Eſtnè pro certo tenendum quod plenariam Indulgentiam ſit adeptus, qui contritus, & confeſſus ad amuſſim executus eſt in Bulla præſcripta?*

R. Non. Fuerunt quidem ante Concilium Tridentinum aliqui graves Theologi id docentes, ſed poſt illud plures contrarium aſſerunt, quod Indulgentiæ ſint ſupplementum infirmitatis humanæ, non fomentum inertiæ, nec

pro-

proficuæ ſunt, tantùm his, qui conantur dignos fructus Pænitentiæ, & remitteret pacto tali diſciplina Spiritualis, ac Fideles magis redderentur proclives ad male agendum, ut inquit Sixtus IV. in Extrav.

Q. *Quotuplex eſt genus Indulgentiarum?*

R. Multiplicius. Siquidem aliæ Indulgentiæ largiuntur ex theſauro illo inexhauſto Eccleſiæ, quæ proſunt vivis, aliæ, quæ defunctis: aliæ partiales ad remittendam tantum partẽ pænæ peccatis debitæ: aliæ plenariæ pro tota pæna relaxanda.

Q. *Quotuplex eſt genus Indulgentiarum Plenariarum?*

R. Duplex: Aliæ enim ſunt ſimpliciter plenariæ, & aliæ Jubilares, vel per modum Jubilarium, quales concedi ſolent in Coronatione Romani Pontificis Chriſti in terris Vicarii Summi, & tempore magnarum Eccleſiæ neceſſitatum, ac calamitatum.

Q. *In quo differunt Indulgentiæ pro Defunctis, ab Indulgentiis, quæ conceduntur pro vivis? Et quid tenendum de IndulgentiisConfraternitatum?*

R.

R. In hoc: quia Indulgentiæ pro vivis dantur per modum absolutionis, & solutionis: pro defunctis autem per modum suffragii. Ecclesia enim in defunctos jurisdictionem non habet, utpote jam ab Altissimo Judice DEO judicatos. In Festo autem Confraternitatum Principali conceditur Indulgentia plenaria, utì pariter pro die ingressus, & Articulo mortis: pro quatuor verò Festis minus Principalibus plerumque ab Ordinario determinandis Indulgentiæ septem Annorum dantur in perpetuum. Ita laudatus Kresslinger apud Reiffenstuel.

Q. *Quid denotat Jubilæum?*

R. Secundum vim nominis Hebraici *Jobel* denotat remissionem seu libertatem.

Q. *Quæ est differentia inter Indulgentias Jubilares, vel ad instar Jubilares, & alias plenarias?*

R. Differentia hæc tantùm consistit in aliquibus privilegiis, sed in præcipuo effectu, qui est integra pænæ remissio, totaliter conveniunt.

Q. *Quæ sunt illa privilegia?*

R.

R. In Indulgentiis, quæ ſunt ad inſtar Jubilæi. 1. Poteſt quiſque ſibi eligere ex approbatis ab Epiſcopo, Confeſſarium. 2. Quilibet Confeſſarius ab Epiſcopo approbatus poteſt abſolvere ab omnibus peccatis, cenſuris etiam reſervatis ſive Epiſcopo, ſive Summo Pontifici (non tamen in irregularitate aliqua diſpenſare) & commutare vota, vel in illis diſpenſare habita cauſa ſufficienti, exceptis votis Religionis, & Caſtitatis perpetuæ, & integræ.

Quod verò attinet ipſum Annum Sanctum præter dicta immediate illæſa, in hoc arctatur facultas Confeſſariis, quod hi non poſſint abſolvere à Caſibus Epiſcopo reſervatis ab ipſo poteſtate non accepta, ſed tantum à reſervatis ſummo Pontifici etiam in Bulla Cænæ contentis ad forum contentioſum non deductis. Deinde ad effectum illius Jubilæi, non ſufficit generalis Epiſcopi approbatio, ſed neceſſaria eſt ſpecialis deputatio. *Habert.*

(**********)

SECTIO

SECTIO IX.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

Q. *Quot, & quæ sunt Sacramenta Novæ Legis?*

R. Sunt septem sequentia: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pænitentia, Extrema, Unctio, Ordo, & Matrimonium. *Trid. sess. 7. can.* 1.

Q. *Quid est Baptismus?*

R. Est Sacramentum Novæ Legis à Christo Domino institutum ad Spiritualem hominis regenerationem.

Q. *Quotuplex est Baptismus?*

R. Triplex: Sangvinis, & hic est Martyrium; Flamminis, & hic est votum, seu desiderium recipiendi Sacramentum Baptismi; tertius fluminis, & hic est Baptismus, qui confertur in aqua.

Q. *Quando Christus Dominus instituit Sacramentum Baptismi?*

R. Probabilior videtur esse doctrina S. Augustini trac. 5 in Joann. & S. Thomæ &c. quod illum instituerit ante Passionem suam, priusquam Officium prædicationis orsus fuisset. Joann.

enim 3. 22. Christus baptizabat per Discipulos, ut constat ex Joann. 4. 2. Verum Baptismus ille non fuit Joannis, sed is ipse, de quo Christus locutus est Nicodemo eodem cap. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.*

Q. *Quæ est Materia Baptismi?*

R. Remota est aqua naturalis, quæ juxta Tridentinum debet esse simplex, & elementalis; Proxima est ablutio ipsa, quæ debet esse trina per effusionem aquæ in parte principaliori corporis, puta in capite per attactum illius, & fluxum per illam, ut sit vera ablutio, servata simultate, ne finiatur ablutio, priusquā saltē incipiat fieri forma.

Q. *Quæ est Forma Baptismi?*

R. Sunt Verba hæc: *Ego te baptizo, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* omnia de essentia proferenda, exceptô pronomine, ego (quod tamen non licet omittere) quod sufficienter exprimeretur in verbo *baptizo.*

Q. *Quis est Minister Baptismi?*

R. Ordinarius est Episcopus, Presbyter, & Diaconus; in casu tamen urgentis

tis necessitatis omnis homo utriusque sexûs etiam infidelis, sed debet habere intentionem faciendi, quod facit, Ecclesia, quamvis non baptizatus. *Eugenius IV.*

Q. *Quod est Subiectum Baptismi?*

R. Omnis homo præsentem vitã vivens tam vir, quam mulier, infans, vel adultus.

Q. *Qualis debet præcedere dispositio in Baptizando?*

R. In infantibus, & usum rationis non habentibus nulla; in adultis verò usum rationis habentibus hæc tres: 1. Consensus. 2. Fides. 3. Contritio, vel adminus Attritio de peccatis secundum illud Act. 2. *Pænitentiam agite, & baptizetur unusquisque Vestrum in remissionem peccatorum.*

Q. *Filii infidelium possuntnè baptizari invitis parentibus valide?*

R. Possunt valide, quia ut advertit S. Augustinus Epist. 23. *Non scriptum est nisi quis renatus fuerit ex voluntate parentum, sed nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto* Contra Durandum.

Q. *Qui sunt effectus Baptismi?*

R.

R. Sunt ſequentes: 1. Infunditur gratia ſanctificans cum virtutibus Theologicis, & donis Spiritus Sancti macula peccati tam Originalis, quã actualis (in adultis non ſolum quoad culpam, ſed etiam quoad pænã) deleta. 2. Character imprimitur, quô baptizatus à cæteris diſtingvitur, & Ornatur tamquam Chriſti inſignia ferens. 3. Conferuntur omnia auxilia ſupernaturalia proportionata fini ad quem Baptiſmus eſt inſtitutus. 4. Baptiſmus nos conjungit moraliter Chriſto tamquã membra capiti.

Q. *Quid eſt Cognatio Spiritualis quæ contrahitur in Baptiſmo & Confirmatione?*

R. Eſt vinculum quoddam inter perſonas certas contractum ex diſpenſatione horum Sacramentorum. Et hanc contrahunt hoc verſu expreſſi tantum:

Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes.
Levans, levatus, levatique parentes.

Q. *Contrahuntnè hanc Cognationem Spiritualem privatim levantes infantem?*

R. Non: quia cognatio Spiritualis patrinorum non ideo contrahitur quia levant infantem præciſe, ſed quia illum levant

levant solemniter. Non includitur hic baptizans, qui hoc vinculum semper contahit excepto casu summæ necessitatis, ut dum Maritus suam prolem baptizaret morientem, tunc enim nullam contraheret cognationem.

SECTIO X.

DE CONFIRMATIONE.

Q. *Quid est Confirmatio?*

R. Est Sacramentum novæ Legis à Christo Domino institutum conferens baptizatis Spiritus Sancti robur tum ad firmiter credendū, tum ad fidem ipsam impavidè confitendam.

Q. *Quando, & à quo est institutum hoc Sacramentum?*

R. Secundùm Fabianum Papam epist. 2. cap. 4. probabiliter in Ultima Cæna à Christo Domino, dum facta, & peracta illa Chrisma conficere docuit Discipulos: Communiter tamen docent Theologi, quod post Resurrectionem.

. *Quotuplex est materia huius Sacramenti?*

R. Duplex: Remota, & proxima.

Remota est Chrisma confectum ex oleo olivarum & balsamo, & ab Episcopo benedictum. *Proxima* est unctio facta ab Episcopo in fronte suscipientis per modum crucis;

Q. *Quæ est Forma Confirmationis?*

R. Sunt verba ab Episcopo prolata sub Collatione hujus Sacramenti dicente: *Signo te signo Crucis, & Confirmo te Chrismate salutis, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Q. *Quis est Minister huius Sacramenti?*

R. Secundum definitionem Conc. Trid. sess. 7. can. 3. Ordinarius solus Episcopus. Extraordinarius tamen cum dispensatione Summi Pontificis potest esse simplex Presbyter.

Q. *Quodnam est Subiectum capax recipiendæ Confirmationis?*

R. Omnes, & soli tantùm baptizati quia character baptismalis est moralis quædam potentia recipiendi alia Sacramenta, & alioquin ipse Baptismus est janua reliquorum Sacramentorum.

Q. *Estnè necessarius Patrinus in Confirmatione?*

R.

R. Est necessarius de præcepto ejusdem sexus prius ipse confirmatus jã, & non is, qui fuerat in baptismo, qui cognationem Spiritualem contrahit cũ confirmato, & parentibus illius.

Q. *Si non Confirmatus teneret ad Confirmationem, contraheretnè cognationem Spiritualẽ?*

R. Utraque sententia est probabilis. Nihilominus cum non confirmatus (secundum Rotari) contra prohibitionem Ecclesiæ teneat, invalide tenet, ex actione autem invalida nihil sequitur.

Q. *Quare requiritur Patrinus in Confirmatione?*

R. Ut 1. Confirmatum corroboret in fide maxime morte pro illa instante. 2. Ut Confirmatus habeat testem, quod sit miles Christi jam per Confirmationem robustus.

Q. *Quare in Confirmatione datur alapa ab Episcopo Confirmato?*

R. Ut discat hinc Confirmatus, quod ab hinc debeat patienti animo sustinere injurias, & tormenta ab aliis pro Christi fide illata.

Q.

Q. *Quid est effectus Confirmationis?*

R. Hic est triplex: 1. Gratia habitualis, seu secunda. 2. Character. 3 Gratia Sacramentalis, quæ est speciale auxilium DEI tempore oportuno vincendi tentationes contra fidem, & robur obtinendi pro illa tuenda.

Q. *Bis recipiens Confirmationem quali peccato peccat; & an fiat irregularis?*

R. Peccato Sacrilegii: non fit tamen irregularis, cũ nullibi de hoc constet in Sacris Canonibus.

SECTIO XI.

DE EUCHARISTIA.

Q. *Quid est Eucharistia?*

R. Est Sacramentum novæ Legis à Christo Domino institutum continens realiter corpus, & sangvinem Christi Domini sub speciebus panis & vini ad spiritualem fidelium refectionem.

Q. *Quotuplex est materia Eucharistiæ?*

R. Duplex: Remota, & proxima. *Remota* est Panis triticeus, & vinum de vite. *Proxima* sunt ipsæ species, quæ actu consecrantur.

Q. *Quæ est Forma huius Sacramenti?*

R. Consecrationis Corporis Christi sunt Verba quæ profert Celebrans super panem dicendo: *Hoc est enim Corpus meum*, consecrationis verò calicis sunt æque verba quæ profert Celebrans super calicem dicendo: *Hic est enim Calix Sangvinis mei, novi, & æterni Testamenti, Mysterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Particula *enim*, Si omitteretur ex prava consvetudine, seclusô contemptu, secundùm DD. fieret veniale, si verò aliud horum verborum, mortale esset peccatum: Si autem ex essentialibus; tunc nulla esset consecratio, & Celebrans committeret peccatum Sacrilegii.

Q. *Quæ verba harum Formarum sunt, quæ ad essentiam Formæ pertinent?*

R. Consecrationis Corporis Christi Domini hæc omnia: *Hoc est Corpus meum*: & Calicis: *Hic est Calix Sangvinis mei* Reliqua pertinent ad integritatem ejusdem Formæ. Thomistæ cum Angelico Præceptore p. 3. qu. 78. a. 3. oppositū tenent asserendo omnia verba in Ca-

none

none Missæ posita (dempto ly enim) esse de substantia consecrationis calicis.

Q. *Quare aqua ponitur in Calice?*

R. Ad significandum, quod è latere Christi Domini in Cruce pendentis fluxerit aqua simul cum sangvine.

Q. *Quot sunt effectus Eucharistiæ?*

R. Quinque sequentes: 1. Augmentum gratiæ Sanctificantis. 2. Remissio venialium. 3. Præservatio à mortalibus. 4. Diminutio fomitis peccati. 5. Unio cum Christo.

Q. *Quot modis potest hoc Sacramentum recipi?*

R. Tribûs modîs, puta Sacramentaliter, ut cum recipitur Corpus Christi; Spiritualiter, cum videlicet quis recipit tantum desiderio, non autem reipsa: Tertio Sacramentaliter, & Spiritualiter, cum quis recipit, & desiderio, & actu, & Sacramentum, & fructum Sacramenti.

Q. *Quæ differentia Eucharistiæ ab aliis Sacramentis?*

R. Quia alia Sacramenta sunt signa sensibilia rei sacræ animam sanctifi-

cantis, puta gratiæ; Euchariſtia autem non tantùm ſignificat gratiam, ſed Chriſtum authorem gratiæ. Secundò quia hoc Sacramentum confert gratiam per modum cibi nutrientis conſervantis, & propagantis vitam ſpiritualem in Baptiſmo receptam; non autem alia Sacramenta.

Q. *Quis eſt Miniſter, & quod ſubiectum Euchariſtiæ?*

R. 1. Solus Sacerdos ex definitione Concilii Lateranenſis, & Trid. *ſeſſ.* 22. *Can.* 2. & traditione Eccleſiæ; ad ſolos enim Apoſtolos, & eorum in Sacerdotio ſucceſſores Chriſtus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.*

R. 2. Omnis, & ſolus homo baptizatus, & viator eſt capax hujus Sacramenti; fructus autem illius, tantum, qui diſpoſitus accedit.

Q. *Eſtnè Euchariſtia neceſſaria ad ſalutē?*

R. Reſpectu infantium non habentium adhuc uſum rationis, non eſt neceſſaria; reſpectu verò adultorum habentium jam uſum rationis, eſt neceſſaria neceſſitate præcepti poſitivi divi-

ni

ni apud Joannem 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*, obligantis in Articulo mortis; necessitate verò præcepti Ecclesiastici in Paschate præcipientis.

Q. *Satisnè facit Præcepto Communionis annuæ, qui sacrilegè Communicat?*

R. Non: Contraria enim sententia est damnata ab Innocentio XI. 1679.

SECTIO XII.

DE MISSÆ SACRIFICIO.

Q. *Quæ ratio, quod Sacrificium in quo peragitur consecratio Corporis, & Sangvinis Domini nostri JESU Christi, dicatur Missa?*

R. Quia hanc Sacrosanctam Hostiam nobis DEUS misit pro redemptione humani generis, & nos viceversa remittimus illam ad DEUM ministerio Sacerdotum. *S. Thom.*

Q. *Quid est Missa?*

R. Est Sacrificium in quo consecratur panis in Corpus, & vinum in Sangvinem Domini nostri JESU Christi.

Q. *A quo est Missa instituta?*

R.

R. A Christo Domino in ultima Cæna, quæ ut tanto cum majori reminiscentia tam magni beneficii, profundiori reverentia, fructu uberiori Sacerdotis, & adstantium celebretur, successu temporis Sancta Mater Ecclesia piè, & prudenter adjungendas judicavit nonnullas cæremonias, & preces.

Q. *Quotuplices sunt partes Missæ Sacrificii?*

R. Duplices: Essentiales, & Integrales. *Essentiales* sunt, quæ pertinent ad valorem illius, *Integrales* autem sunt quæ non sunt de essentia illius, sed tantùm de integritate.

Q. *Quot sunt partes essentiales Missæ Sacrificii?*

R. Tres: Oblatio, Consecratio, & Consumptio.

Q. *Quotuplex est Oblatio?*

R. Duplex: Una panis, & vini, quæ fit in offertorio, & altera Corporis, & Sangvinis Christi, quæ fit peracta Consecratione per illa verba: *Unde & memores &c*, usque ad illa: *Supplices te depre-*

precamur inclusive, & hæc est essentialis, quia prima ad illam ordinatur.

Q. *Quid est Consecratio?*

R. Est actio, quâ peragitur res sacra; puta conversio panis in corpus, & vini in sangvinē Christi Sacerdote nomine illius dicente: *Hoc est Corpus meum: Hic est Calix &c.*

Q. *Quid est Consumptio?*

R. Est actio, quâ Corpus, & Sangvis Christi positum per consecrationem, & oblatum DEO in honorem illius, & animarum fructum & salutem, manducatione Celebrantis destruitur, & cessat esse sub illis speciebus, sub quibus paulo ante fuit.

Q. *Quotuplices sunt partes integrales Missæ Sacrificii?*

R. Duplices: Principales & Ordinariæ, & minus Principales, & non ordinariæ. *Principales* sunt, quæ in omni Sacrificio habentur suntque 4. 1. Incipit ab Introitu ad Offertorium. 2. Ab Offertorio ad Canonem, qui incipit à verbis: *Te igitur &c.* 3. A Canone ad sumptionem. 4. Ad finem continuatur.

Minus

Minus principales ſunt, quæ non adhibentur in omni Sacrificio, ſed ſolum ſubinde, quales ſunt. Gloria, Credo, plures Epiſtolæ plures Collectæ &c.

Q. *Quotuplex eſt Miſſæ Sacrificium?*

R. Triplex: Propitiatorium, impetratorium, & ſatisfactorium. Ideo dicitur *Propitiatorium*, quia confert offerenti augmentum gratiæ, niſi ponatur obex ad contritionem, & amorem DEI ſuper omnia eliciendum & etiam ſecundum ſe; deletque venialia ex conſequenti juxta S. Thomam. Ideo dicitur *Impetratorium*, quia impetrat nobis à DEO beneficia ſpiritualia, & temporalia. Et quamvis non ſemper DEUS præſto adſit noſtris indigentiis, pro quarum ſublevatione illum rogamus in Miſſa, hoc ideo facit, quia non ſemper proficuum eſt ſaluti animarum ita præſtò ſuccurrere. Dicitur ſatisfactorium, quia ſatisfacit pro pæna debita in Purgatorio pro peccatis mortalibus, & venialibus remiſſis per gratiam quoad culpam, non tamen quo ad rationem pænæ.

Q. *Quotuplex eſt effectus Miſſæ Sacrificii?*

R.

R. Triplex: 1. Gratiam augere. 2. Impetrare, quæ petimus. 3. Satisfacere pro peccatis.

Q. *Quis est Minister Missæ Sacrificii?*

R. Principalis est ipse Christus, qui etiam est simul & res oblata. Minus principalis est solus Sacerdos.

Q. *Quotuplex est Minister Missæ Sacrificii?*

R. Duplex: Conficiens, & Offerens. *Conficiens* est Christus, & in persona ejus est solus Sacerdos. *Offerens* est multiplex. 1. Est ipse Christus, qui ut homo seipsum offert DEO Patri. 2. Sacerdos consecrans. 3. Tota Ecclesia per Sacerdotem celebrantem, cujus nomine ille dicit: *Offerimus Tibi Domine Calicem &c.* 4. Offerunt specialiter Missæ Sacrificium dantes eleemosynam Sacerdoti pro illo, demum ministrantes, & assistentes.

Q. *Quotuplex est fructus Missæ Sacrificii?*

R. Triplex: *Generalis*, qui toti Ecclesiæ applicatur. *Specialis*, qui debetur illi pro quo Missa offertur, & *Specialissimus*, quo soli Sacerdoti celebranti at-

tribu-

tribuitur juxta Doctores nulli alteri applicabilis.

Q. *Valor Missæ Sacrificii habetne rationem finiti, vel infiniti?*

R. Respectu Hostiæ, quæ offertur, quæ videlicet est Corpus, & Sangvis Christi ratione unionis ad Verbum, & respectu principalis Offerentis, qui est Christus, infinitus est: respectu tamen necessitatum impetrandarum, videtur voluntate Christi finitus esse, ut patet ex praxi Ecclesiæ, quæ pro una etiam re plura offert Sacrificia, quæ iteranda non essent, si unum Sacrificium infinitum produceret effectum.

Q. *Potestnè Sacerdos pro Missa celebranda stipendium accipere, & an parte illius retenta possit illam alteri tradere celebrandam, ac ad quale tempus potest differri?*

R. 1. Ex decisione Concilii Trid. *sess.* 22. *de Sacr. Missæ.* Potest non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ.

R. 2. Retinere partem eleemosynæ, & Missam alteri dare celebrandam est peccatum mortale. *Bulla Urb. VIII.*

Imò ſecundùm Conſtit. Benedicti XIV. Si Laicus hoc facit incidit ipſô factô in excommunicationẽ Papæ reſervatam, ſi Clericus, vel Sacerdos in ſuſpenſionem etiam reſervatam, à quibus cenſuris nonniſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente abſolvi poterit: idq; locum habet, quamvis conſentiat Sacerdos minus ſtipendium accepturus.

R. 3. Miſſa celebranda non eſt protrahenda ultra bimeſtre, alia tamen favorabilior Doctorum ſententia tempus illud extendit ad trimeſtre.

Q. *Quâ voce Verba Conſecrationis in Miſſa Sacrificio proferri debent à Celebrante?*

R. Jlla voce, & ita, ut remotis impedimentis ab ipſo tantùm celebrante audiri poſſint.

Q. *Accipiens pro Miſſa, ut celebret ad Altare certum, ſi ad illud non celebrat, quomodo peccat?*

R. Si illud altare fuit privilegiatũ, & Miſſa ad illud fuit celebranda pro Defunctis (ut ſuponitur) peccat mortaliter. Quantum ad alia Altaria non privilegiata, res non videtur adeo gra-

vis,

vis, peccaret tantum venialiter, & non teneretur ad restitutionem, nisi aliquod suffragium subtraheret Defunctis ratione majoris astantium Missæ frequentiæ, quod posset privatis precibus compensare; ita *Diana*. Quoad talem Missam, vel de Requiem, dicendum cum *Rotari*, quod satisfaciat quis per aliam Missam, quia omnes sunt ejusdem valoris; hinc nihil tenetur restituere, nihilominus peccat venialiter, quia mentitur, & non stat promissis. Huc pertinet Capellanus talis sacelli, hic enim peccat quoque mortaliter si sæpius extra illud celebret, quia defraudat mentem Testatoris in re gravi; venialiter autem si tantum ter, vel quater in Anno ob parvitatem materiæ, idem *Diana*.

Q. *Quo tempore Missa Celebranda?*

R. 1. Ab aurora, hoc est unâ horâ cum dimidia ante Ortum Solis pro locorum consvetudine, quando solet terminari hominum quies, & inchoari labor (Et in partibus septemtrionalibus non est scrupulizandum, si in hyeme multò ante auroram sacrificetur) usq; medi-

mediā diem quocunque tempore licitum eſt celebrare, & in Nativitate Domini de media nocte dum modo ante hanc medietatem non fiat Conſecratio.

R. 2. Itinerantes, & ubi eſt conſvetudo, ut famuli, & Opifices citius audiant Miſſam, & propter dandum infirmo Viaticum, aut aliam juſtam cauſam unâ adhuc horâ citius poſſunt hæcce Sancta Sanctorum peragere.

R. 3. Ob protractam devotionē, aut Concionem, vel in via exiſtendo, poteſt tempus prolongari celebrandæ Miſſæ poſt meridiem. Sunt nonnulli Religioſi ita privilegiati, quod uſque ad tertiam horam tempore extento valeant celebrare: *Januß l. 2.*

Q. *Quibus diebus licitum eſt celebrare Miſſam?*

R. Omnibus per Annum, exceptô die Paraſceve, cui adjungitur Sabbatum Sanctum ob Decretum S. Congregationis 1690. die 11. Martii emanatum. In Cæna autem Domini privatam celebrationem admittunt Doctores.

SECTIO

SECTIO XIII.

DE PÆNITENTIA.

Q. *Quotuplex est Pænitentia?*

R. Duplex: Ut Virtus, & ut Sacramentum.

Q. *Quid est Pænitentia ut Virtus?*

R. Est Virtus moralis supernaturalis, quâ dolemus de peccatis commissis quatenus sunt offensa DEI, ex motivo supernaturali, cum proposito amplius non peccandi.

Q. *Quid est Pænitentia ut Sacramentum?*

R. Est Sacramentum novæ Legis à Christo Domino institutum ad condonanda peccata post Baptismum commissa, per absolutionem Sacerdotis virtute clavium.

Q. *Quotuplex est Materia Sacramenti Pænitentiæ?*

R. Duplex: Remota, & Proxima. *Remota*, sunt peccata post Baptismum commissa; *Proxima*, sunt actus pænitentis puta Contritio, Confessio, & Satisfactio. Contritio, & Confessio sunt partes essentiales Sacramenti Pænitentiæ; Satis-

Satisfactio autem, est pars integralis tantū puta *in re*, non autē *in voto*, quia & illa est essentialis, ut dicetur infra.

Q. *Quotuplex est materia remota Sacramenti Pænitentiæ?*

R. Triplex: Necessaria, sufficiens, & necessaria, sed non sufficiens. *Necessaria*, sunt peccata mortalia nondū confessa. *Sufficiens*, sunt peccata venialia, vel mortalia jam confessa: *Necessaria*, *& non sufficiens* sunt peccata dubia mortalia, quæ quamvis necessariò sunt confitenda, non tamen sola sufficientia sunt ad recipiendam absolutionem, sed necesse est, ut cum illis exprimantur aliqua alia certa esto venialia; non enim potest absolvi, quod simpliciter dubium est.

Q. *Quæ Circumstantiæ peccatorum in Confessione sunt aperiendæ?*

R. Speciem mutantes sub nullitate Confessionis, & aggravantes in infinitum. *Minus* aggravantes tutius confitentur propter judicium Confessarii rectificandum.

SECTIO

SECTIO XIV.
DE CONTRITIONE.

Q. *Quid est Contritio?*

R. Est dolor animi, & detestatio peccati Commissi cum proposito amplius non peccandi.

Q. *Quotuplex est Contritio?*

R. Duplex: *Perfecta*, quæ absolutè dicitur Contritio, & *imperfecta*; quæ attritio vocatur.

Q. *Quid est Contritio perfecta?*

R. Est dolor de peccatis quatenus sunt offensa DEI summi boni, & supra omnia amabilis, ac dilecti. Quæ justificat hominem extra Sacramentum etiam, in voto tamen illius proxima occasione peragendi.

Q. *Quid est Contritio imperfecta, seu Attritio?*

R. Est dolor de peccatis, propter turpitudinem peccati, aut timorem inferni, vel alterius mali provenientis à DEO vindice. Et ista non justificat extra Sacramentum, sed tantùm in Sacramento Pænitentiæ. Et utraque debet

bet procedere ex motivo ſupernaturali extendens ſe ad omnia peccata mortalia.

SECTIO XV.
DE CONFESSIONE.

Q. *Quid eſt Confeſſio?*

R. Eſt accuſatio ſui ipſius de propriis peccatis poſt Baptiſmum commiſſis coram legitimo Sacerdote ad obtinendam abſolutionem virtute Claviũ.

Q. *Quot ſunt Conditiones bonæ Confeſſionis?*

R. Sunt ſedecim ſequentibus verſibus contentæ.

Sit ſimplex, humilis, Confeſſio pura fidelis
Atque frequens, nuda diſcreta, libens verecunda
Integra, ſecreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, ut ſit parare parata.

Ex his conditionibus tantum tres ſunt neceſſariæ ad valorem Sacramenti nempe: Fidelitas, Integritas, & Dolor.

Q. *Quid ſunt Claves virtute quarum peccata in Confeſſione remittuntur?*

R. Eſt poteſtas ligandi, & ſolvendi quâ Confeſſarius dignos poteſt recipere,

pere, & indignos a regni cælestis Janua excludere.

Q. *Quotuplex est Integritas Confessionis?*

R. Duplex: Materialis, & formalis. *Materialis* fit, dum omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt secundum numerum, & speciem confitentur; *Formalis* verò tunc habetur, dum tantùm aliqua peccata mortalia confitentur, prætermissis reliquis ex rationabili causa, puta tempore naufragii, conflictûs bellici, impedimenti tam physici, quam moralis.

Q. *Potestnè quis excusari ab aliqua, harum; integritate?*

R. A materiali tantùm, nunquam verò à formali.

Q. *Quis instituit Sacramentũ Pænitentiæ?*

R. Christus Dominus tunc præcipuè quando à mortuis resurgens in sufflavit in Discipulos suos Joann. 20. dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Q. *In Sacramento Pænitentiæ qualem personam agit Confessarius, & qualem Pænitens?*

R.

R. Cum hoc Sacramentum institutum sit, ut per modum Judicii peragatur, hinc in hocce Sacro Tribunali pænitens agit personam actoris, & testis contra seipsum; Confessarius autem Judicis personam exercet.

SECTIO XVI.

DE SATISFACTIONE.

Q. *Quid est Satisfactio?*

R. Est opus pænale injunctum à Confessario pænitenti incompensationem pænæ temporalis peccatorum debitæ.

Q. *Quotuplex est Satisfactio?*

R. Duplex: In re, & in Voto. *In re*, est ipsum opus à Confessario taxatũ. *In voto*, est voluntas pænitentis exequendi tale opus. Satisfactio *in voto* est de essentia Sacramenti; *in re* autem est tantũ pars integralis illius.

Q. *Qualia Opera debent imponi pænitenti pro Satisfactione?*

R. Quæ sint vindicativa præteritorum, & præservativa futurorum peccatorum. Et sunt generaliter tria: *Oratio*,

ſub qua comprehenduntur omnes Actus Religionis, qui ad DEUM referuntur, puta actus virtutum Theologicarũ Fidei, Spei, & Charitatis: Actus item laudis, adorationis, glorificationis DEI, genuflexiones &c. *Jeiunium*, ſub quo comprehenduntur omnes caſtigationes corporales, puta Cilicia, humicubationes &c. Et *Eleemoſyna*, ſub qua continentur omnia opera miſericordiæ tam corporalia, quam ſpiritualia, & alia opera, quæ charitatis ſunt erga proximum, in omnibus, & reſpectu ſingulorum tum hæc, tum quæ ſunt Orationis, & Jejunii prudentia Confeſſarii taxanda.

SECTIO XVII.

DE FORMA, MINISTRO, & EFFECTIBUS PÆNITENTIÆ.

Q. *Quæ eſt Forma Sacramenti Pænitentiæ?*

R. Sunt Verba hæc à Confeſſario prolata: *Ego te abſolvo à peccatis tuis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

Q. *Suntne hæc omnia verba eſſentialia Formæ Sacramenti Pænitentiæ?*

R. Non: ſed tantùm hæc: *Abſolvo te*

à pec-

à peccatis tuis. Ubi ex præcepto reliqua omitti non debent.

Q. *Quid ſentiendum de Orationibus præviis, & ſubſequentibus Formam, nempe Miſereatur &c. & Paſſio &c.*

R. Hæ non ſunt neceſſitatis, & ex rationabili cauſa omitti poſſunt.

Q. *Quomodo verba abſolutionis ſunt proferenda?*

R. Modô Indicativô, aut Imperativô, non verò deprecativo. Cùm enim in hoc Sacro Tribunali Sacerdos agat perſonam Judicis, hinc ſententiam proferre debet ut Judex, qui illam in judicio ſæculari (per modum cujus juxta Tridentinum hoc Sacramentum eſt inſtitutum) non profert aliter tantùm indicativè, aut imperativè.

Q. *Quis eſt Miniſter Sacramenti Pænitentiæ?*

R. Solus Presbyter habens poteſtatem tam Ordinis, quam jurisdictionis, de qua ſupra f. 103.

Q. *Quot ſunt effectus Sacramenti Pænitentiæ?*

R. Sunt quatuor ſequentes: 1. Remiſſio peccatorum tam mortalium,

quam

quam venialium. 2. Gratia prima, vel secunda, si prima non est amissa. 3. Gratia Sacramentalis. 4. Commutatio pœnæ æternæ in temporalem.

SECTIO XVIII.

DE EXTREMA UNCTIONE.

Q. *Quid est Extrema Unctio?*

R. Cum S. Thoma, Est Sacramentum à Christo Domino institutum, ad conferendam salutem animæ, vel etiam corporis ægroto periclitanti, per unctiones olei benedicti, & orationem Sacerdotis.

Q. *Quando Christus Dominus instituit hoc Sacramentum?*

R. Probabilius tunc quando, & Sacramentum Pænitentiæ; cum dicatur hoc Sacramentum, Pænitentiæ Sacramenti consumativum Promulgavit illud deinde Sanctus Jacobus, & Fidelibus commendavit dicendo cap. 5. epistolæ: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in Nomine Domini & oratio fidei salvabit infirmū, & alle-*

& alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.

Q. *Quotuplex est materia Extremæ Unctionis?*

R. Duplex: Remota, & proxima. *Remota*, est oleum olivarum ab Episcopo benedictum; *Proxima* autem, est ipsamet unctio infirmi hocce oleo.

Q. *Quæ sunt partes infirmi ungendæ?*

R. Sequentes septẽ: 1. Oculi propter visum. 2. Aures propter auditum. 3. Nares propter odoratum. 4. Os propter gustum, & loquelam. 5. Manus propter tactum. 6. Pedes propter gressum. 7. Renes (in fæminis omittitur sẽper, & in valide infirmis hæcce unctio nempe renum) propter delectationis fomitem ibi vigentem.

Q. *Quomodo manus infirmorum sunt inungendæ?*

R. Interius omnium infirmorum exceptis Presbyteris, qui inungendi sunt exterius utpote interius jam Uncti in sua Ordinatione.

Q. *Quæ est Forma Sacramenti Extremæ Unctionis?*

R.

R. Sunt verba, quæ profert Sacerdos ungendo infirmum dicens: *Per istam Sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, auditum &c. deliquisti Amen.*

Q. *Quis est Minister Sacramenti Extremæ Unctionis.*

R. Est solus Sacerdos, & quidem proprius Parochus, de ejus tamen licentia, aut in extrema necessitate, quilibet Sacerdos, ut liquet ex Clementina 1.

Q. *Quod est Subiectum capax Sacramenti Extremæ Unctionis?*

R. Homo baptizatus, infirmus, in probabili periculo mortis constitutus. Eatenus hoc Sacramentũ administrandum non est sanis licet in aliquo periculo mortis constitutis; quia non sunt periculosè infirmi protunc, sed tantum vita periclitantur.

Pueris usum rationis habentibus periculosè decumbentibus danda est hæc Sancta unctio, esto Communionem non susceperint. Pariter & moribundis sensibûs destitutîs, quamvis Communionem non possint suscipere

si ante

ſi ante petierint, ſignum doloris dederint, aut Chriſtianè vixerint. Non tamen debet dari perpetuò amentibus, qui nunquam uſum rationis habuerunt.

Q. *Poteſtnè hoc Sacramentum iterari?*

R. Stante eadem infirmitate, non poteſt Si verò infirmus videatur convaluiſſe, & rurſum incidat in periculum imminentis mortis, poteſt iterum ſuſcipere hoc Sacramentum; quia illa infirmitas cenſetur non eadem, ſed nova.

Q. *Qui ſunt effectus Sacramenti Extremæ Unctionis?*

R. Sunt tres ſequentes: 1. Remiſſio finalis venialium, imò per accidens & mortalium, quæ per oblivionem non ſunt confeſſa. 2. Robur animæ contra tentationes Dæmonis in articulo mortis. 3. Alleviatio mortis.

SECTIO XIX.

DE MATRIMONIO.

Q. *Quid eſt Matrimonium?*

R. Eſt Sacramentum novæ Legis à Chriſto Domino inſtitutum, quô vir, & fæmina ad vitalitiam legitimè ineunt

socie-

ſocietatem tradendo ſibi mutuum jus in ſua corpora in remedium concupiſcentiæ, & prolis educandæ.

Q. *Quotuplex eſt Matrimonium?*

R. Eſt Triplex. 1. *Legitimum*, & eſt contractus ſecundum præſcriptum legum factus, non tamen rationem habens Sacramenti, ut patet in Matrimonio Judæorum. 2. *Ratum*, & eſt ipſe nexus inter perſonas legitime initus, ab Eccleſia approbatus, nondum tamen uſu conſumatus. 3. *Conſumatum*, & eſt ipſe nexus Sacramentalis uſu jã completus.

Q. *Quotuplex eſt materia Matrimonii?*

R. Duplex: Remota, & proxima. *Remota*, ſunt corpora habilia contrahentium, *Proxima* eſt ipſa traditio legitima corporum gratiâ generandæ prolis.

Q. *Quis eſt Miniſter Sacramenti Matrimonii?*

R. Sunt Contrahentes. Parochus autem ſecundùm Tridentinum, eſt tantùm aſſiſtens approbans conjunctionem Contrahentium dicendo (ut in aliquibus Provinciis moris eſt) *Ego vos in Matrimonium coniungo in Nomine Patris &c.*

Q.

Q. *Quæ est Forma Sacramenti Matrimonii?*

R. Sunt verba contrahentiũ, vel alia signa externa consensum internum sufficienter indicantia in ordine ad mutuam corporum traditonem.

Q. *Quis finis institutionis Sacramenti Matrimonii?*

R. Hic duplex: 1. Propagatio legitima generis humani. 2. Reciprocum obsequium viri, & mulieris ad se dandã concupiscentiam.

Q. *Qui sunt effectus Sacramenti Matrimonii?*

R. Sunt sequentes: 1. Gratia Sanctificans, non quidem illa prima, quæ peccatum tollit lethale, verùm secunda, mediô cujus fideles contractum hunc Sacramentalem ineuntes augentur in fide, spe, & Charitate, & perficiuntur in Sanctitate repræsentantes Christi cũ Ecclesia unionem. 2. Spiritualia gratiæ actualis auxilia, ut conjuges quem admodum sunt una caro, ita etiam sint unus spiritus in Christo quo se diligant

& ca-

& castè vivant, mutuasque infirmitates perferant amanter.

Q. *Quando, & a quo fuit institutum Sacramentum Matrimonii?*

R. Tunc quando interfuit nuptiis in Cana Galileæ initiativè instituit Christus Dominus hocce Sacramentum, consummativè autem dum dixit: *Quod ergo DEUS coniunxit, homo non separet.*

SECTIO XX.

DE SPONSALIBUS, & BANNIS.

Q. *Quid sunt Sponsalia?*

R. Sunt promissio vera, voluntaria & deliberata, ac mutua, signô externô sensibilî expressa, & manifestata, futuri Matrimonii inter personas à jure non exclusas, in facie Ecclesiæ celebrandi, obligationem pariens.

Q. *Quis est effectus Sponsalium?*

R. Iste Triplex: 1. Promissio hæc debitũ parit, sub mortali, ut opere impleatur, quamvis non fuerit juramentô confirmata. 2. Parit impedimentum publicæ honestatis. 3. Stante hac promissione non potest transire ad alia spon-

ſponſalia, & nollens ſtare illis, poteſt, imò & debet juxta Conc. Trid. compelli à Loci Ordinario etiam pœnâ excommunicationis (ſi juſtam cauſam non habet) ut illis ſatisfaciat.

Q. *Per quid Sponſalia diſſolvuntur?*

R. Sponſalia diſſolvuntur 1. Per matrimonium validū cum alia initum. 2. Per mutuū conſenſum, prioris promiſſionis. 3. Per ſuperveniens impedimentum dirimens. 4. Per enorme crimen compartis. 5. Per ſupervenientem notabilem mutationem, quæ ab initio ſi fuiſſet cognita, à contrahendis ſponſalibus deterruiſſet, v. g. maleolentia Oris arte medicinæ amplius non curanda &c. 6. Si unus ſponſorum incidat in morbum perpetuum, aut contagioſum, ſique incidat in fornicationem. 7. Si magna alterius partis deteguntur debita aſperitas morum, capitalis inimicitia. 8. Si unus ſponſorum ingrediatur Religionem, amittat naſum, oculum, & hujusmodi, diſcedat in longinquam regionem abſque licentia alterius ſponſi, & nec ſit ſpes certa cito redeundi. 9.

Per

Per supervenientem etiam paupertatē sponsæ, vel detectam, aut sponsi, sponsalia dissolvuntur.

Q. *Quid sunt Bannæ? alias Denunciati?*

R. Est insinuatio, seu proclamatio publica in facie Ecclesiæ de Matrimonio duarum personarum contrahendo inter se, facta eo fine, ut si aliquod sit inter eas impedimentum, à fideli populo detegatur.

Q. *Sub quali obligatione, & quota debet fieri talis Denunciatio?*

R. Sub peccato mortali tam Parochi, quam contrahentium debet esse omnino trina. Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. & si unam omittit Parochus per sententiam Judicis suspenditur in super.

Q. *Quando illæ Bannæ debent fieri?*

R. Debent fieri diebus Dominicis, aut Festivis successivis, & continuis, interpolatis tamen non immediatis.

Q. *Si Sponsi sunt diversarum Parochiarū, qualiter faciendæ Bannæ?*

R. In utraque Parochia debent fieri denunciationes, seu Bannæ: præsentia autem seu assistentia sufficit illius Ec-

clesiæ

clesiæ Parochi, ubi contrahitur Matrimonium sive sit mulieris, sive viri *Cong. Card. sub Pio V. & Greg. VIII.*

Q. *Quid tenendum de vagis, ubi nam his Matrimonium Contrahendum?*

R. Ubi hospitantur, sed non aliter nisi illorum habilitas fide dignis testibus comprobetur; sin secus, Sponsus debet in Officio juramentum deponere, quod non sit vinculo conjugali obstrictus.

SECTIO XXI.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Q. *Quid est impedimentum Matrimonii?*

R. Est quidam obex ne licitè, aut valide Matrmonium contrahatur.

Q. *Quotuplicia sunt impedimenta Matrimonii?*

R. Duplicia: Impedientia tantùm, quæ Matrimonium reddunt illicitũ, sed validum; & Dirimentia, quæ Matrimonium reddunt & illicitum, & invalidũ.

Q. *Quot sunt impedimenta impedientia?*

R. Antiquitus fuerunt sedecim, sed modo non sunt in usu tantum quatuor sequenti versu contenta:

Sacra-

Sacratum tempus, vetitum ſponſalia votum.

Q. *Quid per ſingula hæc verba intelligitur?*

R. Per *tempus Sacratum* intelligitur Adventus Domini uſque ad Epiphaniã; & Quadrageſima à die Cinerum, uſq; ad Octavam Paſchæ. Per *vetitum.* intelligitur prohibitio Eccleſiæ, Epiſcopi, aut Parochi, ex juſta, & rationabili cauſa. *Sponſalia* impediunt Matrimonium cum alia contrahendum, donec diſſolvantur. Per *votum* intelligitur votum ſimplex caſtitatis, aut Religionis, vel aſſumendi Ordinis Sacri; cum tali enim voto contrahentes contrahunt validè, ſed illicitè, & indigent diſpenſatione, ut licitè poſſint cohabitare.

SECTIO XXII.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

Q. *Quot ſunt impedimenta dirimentia Matrimonium?*

R. Sunt quatuordecim ſequentibûs verſibûs comprehenſa:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas,

Si

Si sis affinis, Si forte coire nequibis,
Si Parochi, aut duplicis desit præsentia Testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ:
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Q. *Potestnè Ecclesia statuere impedimenta dirimentia Matrimonium?*

R. Potest omnino, ita enim decisum est in Concilio Tridentino *sess.* 23. *can.* 4, *de Matrim.*

Q. *Potestnè Princeps sæcularis aut Res-publica statuere impedimenta dirimentia Matrimonium?*

R. 1. Respublica civilis infideliũ, quia Ecclesiæ non subjacent; & Respublica Civilis Christiana si suæ jurisdictioni relinquatur gubernanda, potest valida impedimenta apponere naturali, & civili contractui Matrimonii; possunt enim hæ, prout & Princeps sæculiaris totum id præcipere, aut inhibere, quod prodest, aut obest bono Communi. *S. Thom. &c.*

R. 2. Leges circa Matrimonium conditæ à Respublica, aut à Principe sæculari, quatenus ab Ecclesia non approbantur, eô ipsô sunt irritæ, & nul-

læ. *cap. Ecclesiæ S. Mariæ de const.* per consequens sine illius authoritate nihil possunt Principes, & Respublicæ circa impedimenta Matrimonii statuere, sæculares.

SECTIO XXIII.

DE IMPEDIMENTO ERRORIS.

Q. *Quotuplex est error?*

R. Duplex: Personæ, & Conditionis. *Personæ* est, cum putatur Rachel, & est Lia. *Conditionis* vel qualitatis, aut fortunæ, cum supponitur esse liber, qui est servus, vel qualitatis, cum putatur esse bonus, qui est malus; error fortunæ, cũ putatur dives esse, qui est pauper.

Q. *Quisnam horum errorum dirimit Matrimonium?*

R. 1. Dirimit Matrimonium error personæ. *cap. 1. 24. q. 1. Tua nos. de spons.*

R. 2. Si in errore qualitatis, & fortunæ interveniat etiam error personæ, non fit validum matrimonium. S. Thom. &c. & patet ex anteriori Responsione.

R.

R. 3. Si in errore qualitatis, & fortunæ, apponitur ipsa qualitas, & fortuna apponiur, sine qua non fertur consensus, Matrimonium initum sub tali conditione, illa in effectum non deducta, nullum evadit.

R. 4. Error Conditionis dirimit Matrimonium, sed tunc quando conditio fit errantis deterior, ut dum libera conttahit cum servo, quem putabat esse liberum, quando autem servus contrahit cum serva, quam putabat esse liberam, talis error conditionis non dirimit Matrimoniũ, quia conditio contrahentis non deterioratur.

Q. *Quid intelligitur per impedimentum Conditionis?*

R. Intelligitur Status servilis ex Contrahentibus, & quidem non qualiscunque servitus, sed illa, quæ mancipium planè aliquem reddit Domino, ut illum habeat jus alteri vendendi.

Q. *Quid intelligitur per impedimentum Voti?*

R. Intelligitur votũ solemne, nempe Votum Solemne Professionis religi-

osæ, aut votum castitatis Sacris Ordinibus annexum.

SECTIO XXIV.

DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS.

Q. *Quid est Cognatio, & quotuplex?*

R. Est quædam conjunctio inter certas personas, & est triplex: Legalis, Spiritualis, & naturalis.

Q. *Quid est cognitio Legalis?*

R. Est propinqvitas personarum ex adoptione ortum habens.

Q. *Quid est Adoptio?*

R. Est personæ extraneæ in filium, aut filiam legitima assumptio authoritate publica Principis, aut Magistratus.

Q. *Quot sunt species adoptionis Matrimonium dirimentes?*

R. Tres: 1. In linea recta inter ipsum adoptantem, & adoptatum, hujusque solos filios carnales descendentes usque ad quartum gradum qui tamen non repenuntur emancipati, sed sub potestate ipsius adoptati, quando fit adoptatio. 2. In linea collaterali inter ipsum adoptatum, & solos filios carnales

les adoptantis, qui pariter ſunt in poteſtate adoptantis tempore adoptionis & non ultra. 3. Inter adoptatum, & uxorem adoptantis, atque: inter adoptantem & uxorem adoptati. Hinc ſecunda, & tertia ſpecies non extenditur ultra primū gradum. Unde inter adoptantem, & parentes adoptati, ſimiliter inter Fratres adoptativos, aut eorum filios inter ſe nullum adeſt impedimentum, quia nullum jus illud imponit.

Q. *Quid eſt Cognatio Spiritualis?*

R. Eſt quoddam vinculum inter perſonas certas contractum, ex diſpenſatione Sacramentorum Baptiſmi, & Confirmationis, *ut iam dictum ſupra f.* 121. *& inter quas perſonas & quomodo contrahatur? ibidem.*

Q. *Quid eſt Cognatio Naturalis?*

R. Eſt conjunctio multarum perſonarum ab una tamquam ſtipite procedentium carnali propagatione.

Q. *Ad quem gradum aſſurgens hæc cognatio carnalis ſit impedimentum dirimens Matrimonium?*

R. Ad gradum puartum incluſivè.

Q.

Q. *Quid intelligitur per gradum cognationis naturalis, seu Consangvinitatis?*

R. Intelligitur diſtantia perſonarũ ſangvine junctarum, quâ devenitur, quæ ſit proximitas, vel remotio unius reſpectu alterius ſerie deducta ad illam à qua procedunt. Et hoc fit duplici modo (lineam alii dicunt) recto, & transverſo, ſeu collaterali, quorum primus eſt, ſecundum quem multæ perſonæ deſcendunt ab una, ipſa verò ex his à nulla, ut pater reſpectu filii, Nepotis, Pronepotis, & Abnepotis: Secundus autem eſt, qui indicat multas perſonas ab una procedentes non tamen à ſe ipſis deſcendentes, puta fratres, ſorores & eorum filii, Patruus & Amitta &c.

Rectus ille modus non computat Patrem, originem genealogiæ, adeoque filius, qui ab ipſo immediate procedit, eſt in primo gradu, nepos, qui à filio immediatè originem ducit, eſt in ſecundo gradu, pronepos in tertio, abnepos in quarto, & hujus filii in quinto.

Transverſus etiam ſeu Collateralis modus id ipſum facit, dum etiam non com-

computat deſcendentes cum iis à quibus gradatim deſcendunt, ſed omiſſo communi generante, puta patre, interſe conferuntur ut frater cum ſorore; hi autem qui primi occurrunt in hoc modo ſeriem faciendo, & immediatè deſcendunt à dicta perſona generante, computantur in primo conſangvinitatis gradu: filii verò fratris, & ſororis, quos dicimus conſobrinos, in ſecundo: filii conſobrinorū in tertio, ab his in quarto, & ita ulterius.

Modus igitur ille rectus deſcendentiæ, & aſcendentiæ perſonarum ab una procedentium generante, indicat impedimentum Matrimonii dirimens, juxta deciſionem Nicolai I. ad Conſulta Bulgarorum cap. 39. uſque in infinitum; ſecundus verò, ſeu transverſus, & collateralis, ùt jam ſupra hic dictùm, ad quartum gradum incluſive, nec ultra prout definivit Concil. Later. IV. cap. *Non debet. De conſangvin: & affinit.*

****

****

SECTIO

SECTIO XXV.

DE IMPEDIMENTO CRIMINIS.

Q. *Quotuplex Crimen, est impedimentum Matrimonii dirimens?*

R. Duplex: Homicidium, & Adulterium.

Q. *Quibus in casibus haecce duo Crimina dirimunt Matrimonium?*

R. In sequentibus quatuor. 1. Quando quis infert mortem conjugi conspirante, vel consentiente occisi consorte: Nam superstes conjunx non potest Matrimonium contrahere cum homicida cap. *Laudabilem. de convers. infid.*

2. Quando cum homicidio unius conjugum praecessit adulterium cum superstite, quamvis hic in homicidium nullô modô, nec consensu quidem concurrerit. cap. *Super haec. de eo, qui duxit uxorem &c.*

3. Quando adulterium perpetratum est accedente promissione acceptata futuri Matrimonii post mortem conjugis. Quod si haec non fuerit, aut non acceptetur expressè, vel tacitè (silentium

autem

autem non habetur pro acceptatione) adulterium non irritat Matrimonium. S. Auguſt. l. 1. De Nupt.

4. Dum quis vivente conjuge legitima, Matrimonium contraxit, & conſumavit cũ altera, conſcia prioris conjugii; hanc enim non poteſt habere uxorem, ſi prior vivat. cap. *Vivens. De eo qui &c.* Si verò non conſummavit, nec illa conſcia fuit conjugii non obſtat, quod impedirentur Matrimonium inire poſt mortem prioris dictæ uxoris.

SECTIO XXVI.

DE IMPEDIMENTO CULTUS DISPARITATIS.

Q. *Quid eſt Cultûs Diſparitas?*

R. Eſt diverſitas Religionis inter contrahentes.

Q. *Inter quos talis diſparitas, & diverſitas Religionum reperitur?*

R. Inter Chriſtianos baptizatos cum non baptizatis, puta Paganis, Judæis, Machumetanis, & Catechumenis; cum quibus omnibus invalidè contraheretur Matrimonium à Chriſtianis.

Ve-

Verùm ubi promiſcuè vivunt Catholici cum Hæreticis illorum promiſcua Matrimonia, & valida, & licita fiunt.

Q. *Si uxor, & vir infidelis convertantur ad fidem, remanetne eorum Matrimonium?*

R. 1. Si illud Matrimonium fuit contractum ſine impedimento contra Jus naturæ (quale eſt primus gradus, puta fratris cum ſorore) (impedimenta enim Juris Eccleſiaſtici non afficiunt infideles) remanet eorum Matrimonium.

R. 2. Si converſus ad fidem habeat plures uxores, debet primam retinere: Si hæc converti nolit, poteſt eligere quamcunque ex aliis, quæ converſæ ſunt. Si nulla velit converti, & prima conſentit habitare cum illo ſine injuria Creatoris, debet eam retinere; ſecus remanet liber. *Rotari.*

SECTIO XXVII.

DE IMPEDIMENTO VIS.

Q. *Quid eſt vis?*

R. Eſt violentia illata ſive pœnis, & vexationibus, ſive minis, quæ metum incutiunt.

Q.

Q. *Metus invalidatne Matrimonium?*

R. Invalidat jure positivo, si hic sit gravis, & injuste incussus. cap. *Veniens de sponsal.* Ubi Ecclesia declaravit inhabiles ad sic contrahendum: Verùm metus levis, vel juste incussus non invalidat, puta si Judex illum cogat metu mortis ad ducendam puellã, quàm defloravit.

SECTIO XXVIII.

DE IMPEDIMENTO ORDINIS.

Q. *Quid intelligitur per Impedimentum Ordinis?*

R. Intelliguntur aliquo Sacro Ordine, puta Subdiaconatu, Diaconatu, vel Presbyteratu initiati, quos Ecclesia inhab les reddit ad ineundum Matrimonium.

SECTIO XXIX.

DE IMPEDIMENTO LIGAMINIS.

Q. *Quid est Ligamen?*

R. Est vinculum Matrimonii legitimè contracti; quod Jure naturali, & Divino non admittit secundas nuptias, nisi prius solutum fuerit morte alterius

con-

conjugio vel solemni Religiosa Professione, si Matrimonium non fuit consumatum.

SECTIO XXX.

DE IMPEDIMENTO HONESTATIS.

Q. *Quid est Impedimentum publicæ Honestatis?*

R. Est quædam species affinitatis, quæ oritur ex sponsalibus validis, & Matrimonio rato, sed non consummato.

Q. *Manetnè illud impedimentum, si sponsalia quocunquè titulo iusto, puta per consensum partium, vel per setentiam Judicis, vel per mortem alterius sponsi dissolvantur?*

R. Valet ex decisione Sacræ Cardinalium Congregationis 1658. quod summus Pontifex Alexander VII. jussit observandum.

Q. *Quam procul se extendit hoc impedimentum?*

R. Ad gradum quartum inclusivè, si provenit ex Matrimonio rato, & non consummato; ad primum autē tantùm, juxta Conc. Trid. *sess.* 24. *de refor.* quando

do oritur ex sponsalibus validis, invalida illud non pariunt.

SECTIO XXXI.

DE IMPEDIMENTO AFFINITATIS.

Q. *Quid est Affinitas?*

R. Est personarum proximitas ortum habens ex copula, tam licita, quam illicita, carnali.

Q. *Ad quem gradum impedit matrimoniū validè contrahendum?*

R. Ex copula licita ortum habens impedit ad gradum quartum inclusivè juxta Conc. Lateranense cap. *Non debet. de Consangvinitat.* proveniens autem ex copula illicita non excedit secundi gradus limites. Conc. Trid. *sess.* 4. *cap.* 4. *de Ref.*

SECTIO XXXII.

DE IMPEDIMENTO CLANDESTINITATIS.

Q. *Quando Matrimoniū est Clandestinū?*

R. Tunc, dum contrahitur sine præsentia proprii Parochi, vel sine alio Sacerdote de illius, aut Episcopi Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus.

bus. Conc. Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *de Refor.*

Q. *Quis est proprius Parochus, domicilii nè an originis?*

R. Domicilii, nisi contrahentes sint vagi; hi enim contrahere possunt coram Parocho loci, in quo diversantur, comprobata illorum prius habilitate per testes fide dignos, ut dictum f. 255. & ut Conc. Trid. *sess.* 24. *cap.* 7. *de Refor.* dicit obtentâ prius Ordinarii licentiâ.

Q. *Quam longum tempus requiritur, ut Advenæ alicubi acquirant domicilium sufficiens ad ineundum Matrimonium?*

R. Ex sensu Doctorum, & Decr. S. Congreg. tempus idoneum aliquod. Quoad Matrimonia autem eorum, qui in carcere adstricti detinentur, si detineantur in carcere ex sententia Judicis sive deputati in perpetuum, sive ad certum tempus, respectu illorum, Parochus loci, ubi carcer situs est, est Parochus Matrimonii. Si verò detineantur in carcere donec causa eorum expediatur, tunc Parochus eorum est ille, ubi habent domicilium. S. Cogr. & DD.

Q.

Q. *Cotrahentes diversarum Parochiarum satisnè faciunt ad veritatem Matrimonii, si illud celebrent coram Parocho alterutrius contrahentiū?*

R. Satisfaciunt, & constat id ex universali Ecclesiæ disciplina. Delinqueret nihilominus Parochus, si sponsos tales admitteret testimonialibûs literîs ab illo altero non provisos, quibus illum informaret, de promulgationibus ter factis sui Parochiani nemine aliquid opponente, & quod idem Parochianus suus Sacramentum Pœnitentiæ peregerit, & examen ex Doctrina Christiana subierit. vide dicta f. 255.

SECTIO XXXIII.

DE IMPEDIMENTO IMPOTENTIÆ.

Q. *Quid est Impotentia?*

R. Est Vitium animi, vel corporis ratione cujus obstaculum quis habet, quod alteri non possit carnaliter commisceri.

Q. *Quæ impotentia invalidat Matrimoniū?*

R. Antecedens, & perpetua, sive illa sit absoluta, sive respectiva, ut colligitur ex cap. *Fraternitatis, de Frigidis, &*

Male-

Maleficiatis. Impotentes ex defectu naturali, dicuntur frigidi; ex maleficio, maleficiati.

Q. *Quomodo ista intelligenda: Antecedens, & perpetua, sive illa sit absoluta, sive respectiva?*

R. Dicitur *Antecedens* impotentia invalidare tantũ Matrimonium hoc sensu quod superveniens Matrimonio contracto, & rato, quamvis non consumato, illud non dirimat. Et *perpetua*, quia temporalis, quæ tolli potest remedio medicinarum, vel succrescentibus validioribus viribus, contractum Matrimonium non anullat. Capite autem *Laudabilem de Frigidis*, triennium conceditur conjugibus ad tentandum utrum consumare possint, in dubio perpetuæ impotentiæ: Si namque fieret certa, ut in senibus, quæ omni die efficitur major, nec semel quidem hoc attentare permissum est. Sive illa sit *absoluta* sive *respectiva*: Quia si hoc vitium sit relate ad omnes mulieres, cum nulla potest contrahere; si sit respectu unius, vel alterius tantùm, ut contingit in maleficiatis, dirimit solùm Matrimonium cum illa relatè,

latè,

latè, & reſpectivè ad quā eſt impotens.

SECTIO XXXIV.

DE IMPEDIMENTO RAPTUS.

Q. *Quid eſt Raptus?*

R. Eſt abductio perſonæ vi, aut ſeductione è domo paterna, aut Curatoris ad ineundum Matrimonium.

Q. *Quotuplex eſt Raptus?*

R. Duplex: *Violentiæ*, quando filius, aut filia familias renitens abducitur è domo paterna: & *Seductionis*, ſeu *ſubornationis*, cui perſona rapta non repugnat blanditiis, voluptatibus, illecebris, & promiſſis ſeducta.

Q. *Quid ſentiendum de utroque tali Raptu?*

R. Uterque eſt impedimentū dirimens, nec poteſt ſtare Matrimonium inter Raptorem, & raptum, niſi perſona à raptore ſit ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta. Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de Refor.*

SECTIO XXXV.

DE DISPENSATIONE IN IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Q. *Ad quem pertinet dispensare in impedimentis Matrimonii?*

R. Ad solum Romanum Pontificem in impedimentis, jure humano inductis, dirimentibus ubi præserti agitur de Matrimonio ineundo. Nam Episcopus Ordinarius alias loci dispensat in impedimentis simplicibus, exceptis tamen Votis Religionis, & Castitatis perpetuæ: in illis autem, quæ sunt juris naturalis, & Divini nulla potest esse dispensatio. Et quando Matrimonium est contractum bona fide cum impedimento occulto, nec sine scandalo, aut magno incontinentiæ periculo incontrahentibus, recursus potest fieri ad Sacram Sedem Apostolicam posse dispensare Loci Ordinarium protunc, affirmant sensu & doctrina communi Theologi, & Canonistæ. *Zelola in praxi* 1. *part. verbo Dispensatio.* Et si Contrahentes sunt ex diversa Diæcesi, tunc uterque Episcopus dispen-

ſpenſare debet, quia neutrius jurisdictio extenditur in incolam alterius Diæceſis.

Q. *Qualiter procedendum, ut Matrimonium prius irritum convaleſcat diſpenſatione obtenta?*

R. Dum impedimentum eſt publicum, contrahentes novum conſenſum exhibere debent coram Parocho, & teſtibus: dum autem eſt occultum, ſufficit, ut contrahentes, qui prius coram proprio Parocho contraxerant, ſed invalide, mutuo conſentiant occulte, & ſine teſtibus juxta communem doctrinam Theologorum, & Canoniſtarum.

Q. *Quid faciendũ Confeſſario, dũ in Coniuge pænitente advertit occultũ impedimentũ dirimens?*

R. 1. Dabit operam, utrũ impedimentum illud ſupervenerit Matrimonio jam contracto eo, quod pænitens carnaliter commixtus fuerit perſonæ ſangvine junctæ alterius conjugis, aut affinitate ad illam pertinente, vel anteceſſerit Matrimonium. Si ſupervenit non facit irritum Matrimonium nempe indiſſolubile, ſed inceſtuoſus amittit jus petendi debitum, & indiget in hoc di-

ſpenſatione, reddere autem debet innocenti. Quod ſi verò impedimentum præceſſit Matrimonium, irritum illud facit.

R. 2. Dabit operàm, num pænitens ſciverit illud impedimentum, vel de eo habeat dubium quoddam rationabile, aut illùd ignoret. Si primum, dicet Matrimonium ejus eſſe nullum, & debere dare operam, ut thoro ſeparetur occaſione qua vitare debet fornicationis crimen, quo ſe reum conſtitueret pænitens, nòn tantùm petendo, ſed & reddendo debitum; cum re ipſa non ſint conjuges qui ita Matrimonium inierunt.

Si ſecundum, Confeſſarius nihil dicet pænitenti de tali impedimento, præcipue ſi eſt fæmina, ne illam in proxima occaſione fornicationis ſtatuat, puta reddendi debitum exigenti alteri impedimentum ignoranti, quem à Confeſſario reſcivit non eſſe ſibi conjugem, ut ad uſque bona fide putaverat, & propter ea materialiter ſine noxa cum illo vixerat, & ulterius viveret, ſi à Confeſ-

ſario incautè non fuiſſet præmonita. Non eſt itaque tale impedimentum à Confeſſario detegendum, ſed prætexanda erit alia cauſa abſolutionis differendæ, puta diſpoſitionis indebitæ, & interim recurſus ad Epiſcopum faciendus.

SECTIO XXXVI.

DE DIVORTIO.

Q. *Quid ſignificat Divortium?*

R. Separationem legitimam Viri ab Uxore, aut Uxoris à Viro.

Q. *Quot modis poteſt fieri?*

R. Tribus: 1. Quoad vinculum Matrimonii. 2. Quoad ſolum thorum. 3. Qnoad thorum, & habitationem. *Bon. Nav. apud Preis.*

Q. *Eſtnè divortium, quando coniuges ex aliquo honeſto fine ſeparantur mutuô conſenſu à thoro ad bene viſum tempus?*

R. Non. Quia talis ſeparatio non oritur ex mentium diviſione, qualem divortium ex natura requirit, ut vult Homobonus apud Rotari.

Q. *Quibus ex rationibus poteſt fieri divortium quoad mutuam cohabitationem, & thorũ?*

R.

R. Cum eodem Homobono apud laudatum Rotari: 1. Ob ſævitiam Mariti, qui nimis rigidè, & injurioſè ſe gerit erga Uxorem, eam etiam levibus de cauſis graviter, verberando. 2. Ob adulterium alterius conjugis, propter quod innocens conjunx poteſt ſe ſeparare; frangenti enim fides ſervanda non eſt. 3. Ob nefandum crimen Mariti ſive activum, ſive paſſivum. 4. Ob beſtialitatem, vel quodcunque aliud vitium luxuriæ propter quod fiat carnis diviſio, & ea alteri communicetur. 5. Si vel in Hæreſim incidat, vel Paganiſmum, vel Judaiſmum. 6. Si furore laboret. 7. Si Maritus inducat Uxorem ad peccandū cum alio: non enim cū graviſſimo animæ, vel corporis diſcrimine tenetur Mulier habitare cum Marito ſceleſto.

Q. *Si aliquis infidelis convertatur ad fidem remanente coniuge in ſua infidelitate, poteſtnè divortium in totum facere, & ad alia vota tranſire?*

R. Juxta Regulam S. Pauli, ſi infidelis conſentiat habitare cum illo, ſcilicet ſine blaſphemia Chriſti, & ſine pe-

riculo ſubverſionis, infidelis non debet dimitti, ſanctificatur enim mulier infidelis per virum fidelem: Si autem in continua rixa, & diſcordia maneat cum periculo lapsûs, remanet ſolutus, & poterit ad alia vota tranſire. *Rotari*, Vide in ſimili dicta f. 266.

SECTIO XXXVII.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS, & OFFICIIS, AC DE REQUISITIS IN OBTINENTE BENEFICIUM.

Q. *Quid eſt Beneficium Eccleſiaſticum?*

R. Eſt jus recipiendi reditus ex bonis Eccleſiaſticis DEO dicatis, ratione ſpiritualis officii, authoritate ſummi Pontificis, aut Epiſcopi conſtitutum.

Q. *Quomodo dividuntur Beneficia Eccleſiaſtica?*

R. Beneficia Eccleſiaſtica dividuntur primò in ſæcularia, & Regularia: Sæcularia illa ſunt, quæ Clericis ſæcularibus conferri debent juxta Concilii Tridentini *cap.* 11. *ſeſſ.* 14. *de reform.* definitionem. Regularia, ſecundum idem Concilium *cap.* 10. illa ſunt, quæ Profeſſis

fessis in aliquo Ordine regulari conferri tantùm possunt.

Beneficia sæcularia dividi possunt in Beneficia curam animarum habentia, & in simplicia. Curam animarum habentia illa sunt, quæ obligant ad Sacramentorum administrationem; simplicia autem non habent hoc onus impositum, ut infra fusius hic.

Beneficia item dividuntur in Beneficia in titulum, & in commendata. Beneficia in titulum illa dicuntur, quæ à titularibus, seu titulum habentibus possidentur: Commendata autem censentur illa, quæ quamvis regularia sint, per summum tamen Pontificem Clericis sæcularibus conferuntur, non mutatâ cæteroquin illorum naturâ.

Beneficia item juxta Jurisperitos in varia dividuntur, puta in Beneficia habentia annexam dignitatem, & Beneficia sine dignitate; in Beneficia residentionalia, & non residentionalia; in manualia, denique, que ad certum tempus tantùm possidentur, & in perpetua, quæ sine præfixione temporis cum legi-

timo usufructûs administrantur: Collativa, quæ absoluta, & libera Superiorũ voluntate conferuntur; Electiva, quæ ab aliquibus conferuntur per electionẽ; & Mixta, quæ designante Patrono, & Episcopo instituente conferuntur. In electivis, electio debet à Superiore confirmari

Beneficia item simplicia sunt illa, quæ vocantur *Officia*, puta Thesaurariatus Ecclesiæ, qui absque jurisdictione rerum Ecclesiasticarum habet administrationem, Primiceriatus, Archipresbyteratus, &c. quæ item vocantur Personatus, & sunt, quæ nullam jurisdictionem habendo in Clericorum conventu, Choro, Processionibus, in Suffragiis dandis honorificum locum obtinent, ut Cantoriæ, &c.

Huc etiam pertinent alia omnia, quæ nec jurisdictionem, administrationem, aut præeminentiam aliquam habent, sed instituta sunt ad solvendas DEO preces, inserviendum altari, aut alia ministeria Ecclesiastica exercenda uti omnes Canonicatus tam Ecclesia-

rum

rum Cathedralium, quam Collegiatarum, qui solùm ad servitium Chori, & Altaris sunt instituti: insuper Capellaniæ authoritate Episcopi fundatæ, & Præstimonia, quæ sunt Beneficia instituta pro studentibus, ut sua studia prosequantur, & ad exiguum onus precum de ordinario obligant.

Q. *Quid requiritur in Beneficium obtinente?*

R. Boni mores, scientia, ætas, & Ordo conveniens. cap. Licet. de elect. in 6. Et per bonos mores intelligitur ea totius vitæ ratio, quæ deceat bonum Ecclesiasticum. Trid. *sess.* 22. *de ref.* c. 1. Scientia autem talis necessaria est juxta S. Carolum, quæ adminiculo sit ad functiones illius Beneficii rectè, & ritè præstandas: Ætatem autem Conciliū Tridentinum sess. 23. de Ref. c. 6. in Beneficiandis requirendo statuit, ut, *Nullus ante decimum quartum annum Beneficium possit obtinere.* Et ut (ibid. *sess.* 24. *de refor.* c. 12.) *Nemo ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoveatur nisi qui saltem vigesimum quintum ætatis annum attigerit.*

Quod

Quod verò attinet Ordinem convenientem, in Canone *Licet de electione, & electi potestate* in 6. Tantum *requiritur, ut intra annum, à sibi commissi regiminis tempore numerandum, se faciat ad Sacerdotium promoveri is, qui ad regimen assumitur Parochialis Ecclesiæ.* Et Concilium Tridentinum decrevit *sess.* 24. *de refor. c.* 1. ut Episcopi, & Canonici in Capitulo congregati, *Neminem etiam deinceps ad dignitatem Canonicatum, aut portionem recipiant, nisi qui eo Ordine Sacro sit initiatus, quem illa Dignitas Prædenda, aut portio requirit, aut in tali ætate, ut infra tempus a Jure, & ab hac sancta Synodo statutum initiari valeat.* Jam statutum fuerat (*sess.* 7. *de refor. c.* 12) *ut facultates de non promovendo concessæ ad annum tantùm suffragentur.*

SECTIO XXXVIII.

DE RESIGNATIONE BENEFICIORUM.

Q. *Quid est Resignatio Beneficii?*

R. Ex S. Antonino (p. 2. tit. 1. cap. 5. §. 11. apud Genetto) Est juris proprii spontanea refutatio; quæ fieri debet in manibus ejus, à quo habetur institutio, & confirmatio.

Q.

Q. *Quotuplex est Resignatio Beneficii?*

R. Duplex: Tacita, & expressa. *Tacita* est illa, quæ à jure procedit, non verò à verborum resignantis expressione: quando videlicet Beneficiarius Matrimonium contrahit, aut professionem emittit in aliqua Religione, vel possessionem consequitur alterius Beneficii incompatibilis cum priore Beneficio. *Expressa* autem resignatio illa esse censetur, quæ fit expressa voluntate Beneficiarii, qui vult renunciare, & defacto renunciat juri, quod in Beneficio habet.

Expressa resignatio subdividitur in puram, & simplicē, & conditionatam: per puram, & simplicem resignationem Beneficium illi traditur, & remittitur, sine ullo pacto, & conditione, qui jus habet illud conferendi, ut illud det, cui melius voluerit: Conditionata est, quæ communiter vocari solet *in favorem*, qua Beneficium ea conditione resignatur in manibus Collatoris, ut illud conferat illi in cujus favorem facta est dicti Beneficii dimissio.

Iterum hæc resignatio in favorem subdi-

ſubdividi poteſt, in reſignationem, quæ fit cauſâ mortis, & in illam quæ nullo mortis metu fit, & in illam, quæ fit cauſâ permutationis.

Q. *Reſignationes in favorem ſuntnè in uſu iam à longo tempore in Eccleſia?*

R. Ejuſmodi Reſignationes primo ſub finem ſæculi decimi quinti ſenſim, & ſine ſenſu, contra omnem puritatem Sacrorum Canonum introductæ ſunt, & ea ratione tantum licitæ ſunt, quatenus judicatur Eccleſiæ majus bonum, pro majori utilitate, DEIque majori honore in manibus ſummi Pontificis tantum faciendæ. Non eſt tamen jure prohibitum certam aliquam perſonam nominare per modum recommendationis, cui cæteroquin idoneæ licite conferet Beneficium à tali reſignante dimiſſum. *P. Anacletus*

Q. *Eſtnè licitum reſignare Beneficium ſine cauſa?*

R. Non. Innocentius enim III. ſcribens Epiſcopo renuntiare volenti (*cap. Niſi cum pridem de Renuntiatione*) ita habet: *propter aliquam cauſam utilem, & hone-*

ſtam

stam in huiusmodi proposito cedendi Beneficio perseveres, de licentia nostra cedas, alioquin cedendi licentiam authoritate Apostolica tibi facias penitus interdictam.

Q. *Quæ sunt causæ legitimæ resignandi Beneficium?*

R. Causas legitimas enumerant sacri Canones resignandi Beneficiū, quæ sequentibus duobus versibus complectuntur.

Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Per *Debilis*, intelligitur impotens ad exequendum officium Pastorale: per *ignarus*, defectus scientiæ; per *male conscius*, qui post actam pænitentiam de crimine impeditur ab executione Officii, per *irregularis*, irregularitas personæ; per *quem* mala plebs odit, malitia plebis, ob quam subinde cogitur Prælatus ab illius regimine declinare; per *dans scandala*, Grave scandalum, quod aliter sedari non potest.

****

SECTIO

SECTIO XXXIX.

DE JURE PATRONATUS.

Q. *Quid est Jus Patronatûs?*

R. Cum Hostiensi in summ. tit. de *Patronatu* & aliis relatis apud Salmanticenses: Est potestas nominandi, seu præsentandi ad Beneficium Ecclesiasticum vacans, aliquem instituendum.

Q. *Quotuplex est Jus Patronatûs?*

R. Duplex: Ecclesiasticum, & laicale. *Ecclesiasticum* est, quod vel bonis Ecclesiæ comparatum est, fundando ex illis, aut dotando Ecclesiam; vel Clerico competit ratione alicujus dignitatis Ecclesiasticæ v. g. Decanatûs, Rectoratûs, &c. vel dum Jus patronatûs laicale donatur alicui Ecclesiæ, aut Monasterio. Juspatronatûs *laicale* est, quod aquiritur, quia bonis propriis quis Ecclesiam, aut Beneficium erexit, vel fundavit.

Q. *Quibus modis Jus Patronatûs tam Ecclesiasticum, quam laicale acquiritur?*

R. Tribus modis: 1. Fundatione. 2. Constructione. & 3. Dotatione. *Fundatione* aquiritur Jus Patronatus, quando

do quis concedit fundum ad Ecclesiam erigendam; *Constructione*, quando quis propriis sumptibus ædificat Ecclesiam; *Dotatione* denique acquiritur, quando Ecclesiam dotat, dando illi, & Ministris necessaria. Ad quæ omnia approbanda, & ratihabenda necessarius Episcopi consensus.

Q. *Quotuplex Jus Patronus in Ecclesia aquirit?*

R. Quadruplex. Ita Glossa in cap. Nobis. de Jurep. illis verbis:

Patrono debetur honos, onus emolumentum.
Præsentet, præsit, defendat alatur egenus.

Hoc est: 1. habeat honorem, & potestatem præsentandi Clericum ad Beneficium vacans· 2. habeat primum locum sedendi in Ecclesia, in Choro, Processionibus; primo dandum osculū pacis, candela & ramus benedictus, primusque debet thurificari. 3. habet onus protegendi Ecclesiam, ejusque bona; 4. habet emolumentum quod si ad summam egestatem devenerit, & Ecclesiæ bona deductis impensis necessariis, supersint, teneatur Ecclesia, non tan-

tùm

tùm ex charitate, sed justitia illi suppeditare necessaria abundantius, quam aliis indigentibus. *cap. Nobis. de Jure.*

SECTIO XL.

INTRA QUALE TEMPORIS SPATIUM, & QUI CLERICI SUNT PRÆSENTANDI à PATRONO.

Q. *Intra quod tempus incumbit Patrono Beneficio vacante, ad illud præsentare?*

R. Si Patroni sunt Ecclesiastici, vel mixti, puta partim Ecclesiastici, partim laici, ex Communi sententia Doctorum apud Barbosam relatum à Salmanticensibus, intra sex Menses; si autem Patroni sint Laici, intra quatuor menses. Quod si intra hoc tempus Patronus non præsentet, prædictum jus devolvitur ad Ordinarium. cap. *Quoniam, de Jurepatron.*

Q. *Qualis requiritur, qui ad Beneficium à Patrono est præsentandus?*

R. Præter dicta paulò ante f. 279. Neophiti illegitimi, excommunicati, irregularesque non possunt ad Beneficium præsentari; bene tamen quicunque

alii, si aliquo Ordine sunt insigniti, quãvis primâ tantùm Tonsurâ, ùt sit aptus ad Institutionem. Quod si verò laicus nominaretur tantùm, talis nominatio valeret.

Q. *Poteſtnè Pater filium ad Beneficium præſentare?*

R. Quamvis fictione juris Pater reputetur persona filii, tamen re ipsa ita non est, hinc licitè, & valide potest suum filium ad Beneficium præsentare. *Abbas, &c.*

Q. *Teneturnè Patronus ad Beneficium digniorem præſentare?*

R. Si Patronus est Ecclesiasticus, tenetur ad Beneficium curatum præsentare digniorem; non verò si laicus sit, sed sufficit si dignum præsentet. Conc. Trid. quoad utrumque *ſeſſ.* 24. *de Refor. cap.* 18. Quod si verò Patronus Ecclesiasticus præsentaret indignum, præter reatum peccati mortalis, privaretur pro illa vice, jure præsentandi: Laicus autem intra quadrimestre alium dignum præsentare potest. cap. *cum vos de Offic. Ordin.*

SECTIO

SECTIO XLI.
DE INSTITUTIONE.

Q. *Quid est Institutio?*

R. Cum Azorio, & aliis apud Salmanticenses, Est *Concessio Ecclesiæ, seu Beneficii authoritate Episcopi, vel Ordinarii facta non cuivis Clerico; sed unicè ei, qui à Patrono est nominatus, seu præsentatus.*

Q. *Præsentatus debetnè se personaliter Episcopo præsentare?*

R. Debet, & insuper requiritur, ut intra terminos à Jure præscriptos, exhibeat suæ præsentationis Instrumentum (*Lotterus*) nec sufficit id facere per Procuratorem, aut literas (cap. *Cum & plantare* §. *in Ecclesiis*) & in Ecclesiis Parochialibus administrandis, necessarium est instituendis, ut examen subeant, quãvis sint laurea Doctoris insigniti, aut in Jure Canonico periti. Trid. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 18.

Q. *Quis potest in Beneficiis instituere?*

R. De jure Communi solus Episcopus cap. *In frequentibus*: nihilominus ex delegatione Communis Doctorum

ſententia extendit prædictam facultatem ad Vicarium Generalem Epiſcopi, ſi mandatum limitatum non habet.

APPENDIX
Miſcellaneorum.
§. I.
DE SYMBOLO.

Q. *Quotuplex eſt Symbolum?*

R. Triplex: Apoſtolorum, Nicænum, & S. Athanaſii, & quodlibet eſt compendium Articulorum fidei, ut ſupra f. 7.

§. II.
DE VITIIS OPPOSITIS FIDEI.

Q. *Quæ vitia opponuntur Fidei?*

R. Infidelitas, cujus ſunt tres ſpecies, puta Paganiſmus, Judaiſmus, & Hæreſis.

Q. *Quotuplex eſt Infidelitas?*

R. Duplex: Poſitiva, & negativa. *Poſitiva* eſt, quâ aliquid creditur contrarium

rium fidei: *Negativa* verò eſt carentia fidei, qualis habetur in illis, qui myſteria veræ fidei ignorant.

Q. *Quid eſt Paganiſmus, Judaiſmus, & Hæreſis?*

R. *Paganiſmus* eſt error contra fidē nullô modô ſuſceptam; *Judaiſmus* eſt error contra fidem adhærens ſuperſtitiosè veteri Teſtamento, & rejiciens novum: ac tandem *Hæreſis* eſt error contra fidem repugnans alicui veritati illius. Huc etiam pertinet Apoſtaſia à fide; & fit, quando quis totaliter deflectit à fide ad Paganiſmum, aut Judaiſmum.

Q. *Quid requiritur ad formalem Hæreſim?*

R. Iſta duo: Error in intellectu, & pertinacia in voluntate.

§. III.

DE ORATIONE DOMINICA, & SALUTATIONE ANGELICA.

Q. *Quare Pater noſter dicitur Oratio Dominica?*

R. Quia eſt ab ipſo Chriſto Domino compoſita, & nobis ad ita orandum ab illo per Apoſtolos tradita.

Q.

Q. *Quot conſtat partibus, ſeu petitionibus Oratio Dominica?*

R. Septem, quarum tres reſpiciunt DEUM, & reliquæ quatuor noſtrã utilitatem.

Q. *Cur Ave MARIA dicitur ſalutatio Angelica?*

R. Quia ab Angelo Gabriéle Incarnationem Chriſti Domini MARIÆ annunciante dicta eſt ad illam. Habet tres partes: Primam dixit Angelus; Secundam Elizabeth; Tertiam Eccleſia addidit.

§. IV.

DE VITIIS CHARITATI OPPOSITIS.

Q. *Quæ vitia Charitati opponuntur?*

R. Quæcunque afferunt aliquod nocumentum proximo in corpore, anima, & fama: Odium, & contemptus DEI, omne denique peccatum mortale, ac tandem ultimo ſcandalum, & duellum, ac Bellum.

Q. *Quid, & quotuplex eſt Scandalum?*

R. Eſt dictum, vel factũ præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis, & eſt

est quadruplex: Activum nempe, passivum, pusillorum, & pharisaicum. *Activum* est, dum dictô, vel factô aliũ scandalizo; *Passivum* est dum dictô vel factô alterius scandalizor; *Pusillorum* est, quod ex ignorantia provenit, dum aliquis scandalizatur ex bonis actionibus alterius ob ignorantiam: *Pharisaicum* tandem est, quod ex mera malitia procedit, dũ videlicet quis ex bonis operibus alterius malitiosè scandalizatur, prout olim Pharisæi ex doctrina Christi quamvis sanctissima scandalum sumebant.

Q. *Quid est duellum?*

R. Est pugna duorum, aut pluriũ ex condicto ad intentandum mortem, vel mutilationem.

Q. *Quæ sunt constitutiva duelli formalis?*

R, Hæc tria: 1. pactum ab utrinq; 2. locus; 3. tempus assignatum ex Condicto. Quarum conditionum aliqua si deerit, non erit protunc formale duellum, nec subjacebit pænis taxatis, sed potius erit rixa, aut invasio. Et in formali duello non tantum duellantes, verum etiam adstantes, & assistentes incur-

currunt pœnam excommunicationis. Quod si in duello vulneratus petat Sacramenta, non sunt illi neganda; mortuus verò verè contritus, & Sacramentaliter absolutus, non potest sepeliri in loco sacro donec fuerit absolutus etiam in foro externo.

Q. *Quid est Bellum?*

R. Est conflictus armorum authoritate Principis Superiorem non recognoscentis indictus.

Q. *Per quid differt bellum à seditione, & Rixa?*

R. Quia bellum fit multitudinis, contra extraneorum multitudinem; seditio verò multitudinis, conra multitudinem ejusdem Communitatis: Rixa autem paucorum contra paucos; aut singulorum, contra singulos.

Q. *Estnè Bellum licitum; & quæ conditiones ad hoc requiruntur?*

R. Est licitum: & debet has habere conditiones. 1. Ut sit indictum authoritate Principis legitima. superiorem non recognoscentis; 2. ex justa causa; & 3. rectâ intentione.

§. V.

§. V.

DE RESTITUTIONE.

Q. *Quid eſt Reſtitutio?*

R. Eſt actus juſtitiæ reparans damnum illatum proximo ad æqualitatem

Q. *In quibus facienda?*

R. In bonis fortunæ, honoris, Corporis, animæ, & famæ. Injurians proximum in bonis animæ, puta in memoria, & intellectu obligatur ad reſtitutionem, non quidem quaſi teneretur uſum rationis, aut vitam per homicidium ablatam reddere; hoc enim eſt impoſſibile, ad quod nemo obligatur, verùm incumbit ipſi, damna ratione illius emergentia reſarcire. Qui ad illam obligati ſunt faciendam, vide f. 126.

§. VI.

DE SUSPICIONE.

Q. *Quid eſt Suſpicio?*

R. Eſt aſſenſus debilis junctus cum dubitatione de oppoſito ſiniſtri conceptus de proximo.

Q. *Quomodo differt à Judicio temerario, & dubitatione?*

R.

R. Quia Judicium temerarium, utpote sinister conceptus erga proximum sine sufficientibus indiciis, ut dictum supra f. 126. est firmus assensus; suspicio autem, debilis: dubitatio etiam cum sit suspensio animi, in neutrā partem propendet, quod non fit in suspicione.

§. VII.

DE SACRAMENTALIBUS.

Q. *Quid, & quot sunt Sacramentalia?*

R. Sunt res, & actiones sacræ ab Ecclesia institutæ cum effectu attributo delendorum peccatorum venialium: & sunt sex sequenti versu comprehensa:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Orans, significat Orationem Dominicam; *Tinctus*, Aspersionem aquæ benedictæ; *Edens*, comestionem panis benedicti: *Confessus*, confessionem generalem, qua Ecclesia utitur in principio Missæ, in Completorio, & subinde in Prima: *Dans*, largitionem Eleemosynæ: *Benedicens*, denotat benedictionem Episcopi,

ſcopi, vel Abbatis conſecrati. Ad hæc alia reducuntur.

Q. *Per quid differunt Sacramentalia, à Sacramentis?*

R. Per hoc, quia Sacramenta ipſe Chriſtus Dominus inſtituit, & cauſant gratiam ex opere operato: Sacramentalia autem ſunt inſtituta ab Eccleſia, & conferunt gratiam ſolummodo ex opere operantis.

Q. *Quem habent effectum Sacramentalia?*

R. Conferunt gratiam remiſſivam peccatorum venialium, & auxiliorum actualium nobis neceſſariorum.

§. VIII.

DE PÆNIS CANONICIS.

Q. *Quid eſt pæna canonica?*

R. Eſt pæna inflicta per Canones, vel ſecundùm Canones prohibens, vel arcens punitum ab aliquo gradu Eccleſiaſtico, qui alias ſibi liceret.

Q. *Quot ſunt pænæ Canonicæ, & quæ?*

R. Septem: Excõmunicatio, Suſpenſio, Interdictum, depoſitio, degradatio, infamia, & irregularitas.

Q. *Quotuplices sunt pœnæ Canonicæ?*

R. Duplices: medicinales, & vindicativæ. *Medicinales* sunt: Excommunicatio, Suspensio, & interdictum: *Vindicativæ* autem sunt sequentes: Depositio, degradatio, infamia, & irregularitas. Quid vero singulæ sint vide f. 145. & sequentibus.

§. IX.

DE MARTYRIO.

Q. *Quid est Martyrium?*

R. Est tolerantia voluntaria mortis ex odio veræ fidei, vel alterius virtutis Christianæ inflictæ.

Q. *Quid requiritur ad verum Martyriũ?*

R. In adultis ex parte intellectûs vera fides, & ex parte voluntatis pia voluntas subeundi mortem in contestationem fidei Christianæ, vel alterius virtutis supernaturalis.

Q. *Quomodo parvuli possunt esse Martyres, neutrum horum habentes?*

R. Parvuli quamvis neutrum horum habeant; quia tamen propter fidem perdunt animam suam re ipsa; hinc

pror-

prorsus in cælis invenient eam, juxta generale promissum Salvatoris Matth. 10. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

Q. *Morientes in causa pia e.g. vitam ponentes ob amorem DEI in servitio peste infectorum, suntnè Martyres?*

R. Propriè tales non sunt Martyres; quia eis mors non infertur odiô Fidei Christianæ, vel alterius Virtutis supernaturalis.

Q. *Quare tales subinde à fidelibus, pro Martyribus habentur?*

R. Ideo, ut tam excellens operis heroici resolutio, & tam eximia charitas Christo in servis suis exhibita, tanto majori præconio digna, declaretur.

Q. *Ut Martyrium alicui prosit ad salutem, quid insuper requiritur?*

R. Status gratiæ, vel adminus legitima dispositio ad gratiam, juxta Apostolum dicentem 1. Cor. 13. *Et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quibus verbis excluduntur Hæretici, Schismati-

ci,

ci, & alii peccatis lethalibus affectu adherentes.

Q. *Quæ est illa dispositio legitima, quæ mediante Martyrium alicui potest prodesse virtute gratiæ?*

R. Non tantùm Contritio perfecta, sed etiam attritio, ut notat S. Thom. *par. 3. qu. 78. a. 1.*

§. X.

DECRETA S. R. C. SCITU NECESSARIA.

I. Missæ duæ ejusdem Sancti, immediatè una post aliam non debent cantari eadem die in Ecclesia, in qua celebratur ejus festivitas. S.R.C. *Aug.* 1652.

II. Benedictio cū SS. Sacramento danda est in fine hymni: *Pange Lingva*, non verò ad versum: *Sit & benedictio.* S. R. C. 5. *Febr.* 1639.

III. Sacerdos benedicendo populum cum SS. Sacramento, debet perficere circulum redeundo ad altare, hoc est, debet se vertere ad altare ex parte manus dextræ. S. R. C. 21. *Mart.* 1676.

IV. In altari, in quo adest magna

Statua Sanctissimi Crucifixi, non est necesse, ut ponatur alia crux, dum celebratur Missa S. R. C. 16. *Junii.* 1663.

V. Sacerdotibus communicaturis non sunt dandæ grandiores SSmæ Eucharistiæ particulæ, sed consvetæ. S. R. C. 12. *Febr.* 1679.

VI. Translatô festô in cujus die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Induldentia. S. R. C. 30. *Sept.* 1679.

VII. Si celebranda est Missa Votiva infra octavam, quæ habet Præfationem propriam, ac Communicantes, in Missa votiva debet dici Præfatio conveniens, Communicantes verò de infra Octavam, quia est propriū de illo tempore S. R. C. 16. *Junii.* 1688.

VIII. In Missa privata de Sancto duplici, vel semiduplici, de quo tali die fit Officium, potest quidem fieri commemoratio de SSmo Sacramento exposito, sed omittenda in festis *1mæ*, & *2da* Classis. S. R. C. 2. *Decembr.* 1684.

IX. Super Altare, in quo SSmum Sacramentum expositum est, Crux de

more

more collocari debet cũ Imagine Crucifixi apposita S. R. C. 14. *Maii.* 1707.

X. Renovatio SS. Sacramenti Eucharistiæ debet fieri qualibet Dominica, non autem differi ad quindecim dies. S. R. C. 5. *Apr.* 1753.

XI. Reliquia SSmæ Crucis non est incensanda a Celebrante genuflexo. S. R. C. 15. *Sept.* 1736.

N O T A.

Ritus deferendi Crucem in Processionibus ante annum 398. teste Baronio fuit in usu; & Imago Christi terga debet vertere Clero sequenti, quasi Christus præire videretur, nisi sit Crux Archi-Episcopalis, vel Papalis, in qua Imago Crucifixi respicit Archi-Episcopum, vel Papam, quasi ex illius aspectu in summa Animarum cura iij recreentur. Ita *Cæremon. Episcop. &c.*

MODUS

MODUS
CÆREMONIAS PERAGENDI IN DIE PARASCEVES.

I. SAcerdos paratus in apparatu nigro, prosternit se cruce ante Altare ad quod Cæremoniæ peragentur, & orat aliquantulum, quod & Ministri faciunt.

II. Completis Orationibus Sacerdos deposita Casula accipit Crucem velo nigro tectam ex Altari, ad cujus posteriorem partem infra gradum ultimũ stans versa facie ad populum à sumitate discooperiens Cantat. *Ecce Lignum Crucis &c.* & finita prosecutione a Choro; *In quo Salvator &c.* Superius ascendit ad cornu Epistolæ ac discooperiens brachium dextrum altiori tono cantat: *Ecce Lignum Crucis &c.* & finita prosecutione a Choro: *In quo Salvator &c.* In medio Altaris totaliter discooperiens altius cantat: *Ecce Lignum Crucis &c.*

III. Portat Crucem, collocat ante Altare super pavimentũ stratum, deponit calceos, & ter genuflectens, quod

facit & recedendo, accedens illam oſculatur. Recedens accipit calceamenta, & Caſulam.

IV. Finita adoratione ab omnibus ex Clero reportat Crucem ad Altare, ponit Corporale ſupra menſam, & purificatoriū circa illud, ac Proceſſio ad Sanctiſſimum ordinatur.

V. Incenſato Sanctiſſimo. *Vexilla Regis &c.* intonat Sacerdos ac Choro reliquum videlicet: *fulget Crucis Myſteriū &c.* in cantu proſequente itur ad Altare.

VI. Cum ventum fuerit ad Altare, Sacerdos incenſat Sacramentum, eximit ex pixide, ponit ſuper patenam, deinde ſuper Corporale nihil dicens, & manus lavat.

VII. Infundit vinum ad Calicem, & aquam, quam non benedicit, ponit ſuper Corporale nihil dicens.

VIII. Imponit incenſum abſque benedictione, incenſat Oblata dicendo: *Incenſum iſtud &c.* & Altare proſequendo; *Dirigatur Domine &c.*

IX. In cornu Epiſtolæ lavat manus,

X. In

X. In medio Altaris inclinatus dicit: *In ſpiritu humilitatis &c.*

XI. Verſus ad populum dicit: *Orate Fratres &c.*

XII. Genuflexus adorat, & dextra manu elevat hoſtiam, & ſtatim dividit in tres partes unam in calicem mittens nihil dicendo.

XIII. Statim dicit Orationem *Perceptio Corporis &c.*

XIV. Genuflectit, & accipit cum reverentia reliquas duas partes Sacræ hoſtiæ dicendo: *Panem Cæleſtem accipiam &c.* deinde: *Domine non ſum dignus &c.* ter pectus percutiendo, & idem: *Domine non ſum dignus &c.* repetendo ter.

XV. Signat ſe Sacramento, dicitque: *Corpus Domini noſtri JESU Chriſti &c.* ac ſumit reverenter.

XVI. Poſtea Calicem ſumit, manus abluit, & ſumit.

XVII. Inclinatus junctis manibus dicit: *Quod ore ſumpſimus &c.*

XVIII. Deſcendit inferius, & dicto *Pater &c.* & *Ave &c.* Veſperæ inchoantur. *Miſſale.*

MODUS
CELEBRANDI

Coram Summo Pontifice, Cardinali, Patriarcha, Nuncio Apostolico, Archiepiscopo, & Episcopo in locis eorum Jurisdictioni subiectis.

I. Inchoaturus Missam inclinatione solita Cruci facta descendit, & ante infimum gradum in cornu Evangelii stat (si coram summo Pontifice genuflectit) deinde profundam facit inclinationem ante Ejusmodi Prælatum, post ab eo Benedictione accepta vadit ad medium; ubi adoratione facta (si ad Altare, ubi Sanctissimum asservatur, genuflexus, sin ad aliud) capite Cruci; incipit dicens: *Introibo ad Altare DEI &c.*

II. In Confiteor dicit loco: *Vobis Fratres* conversus ad Prælatum: *& Tibi Pater*: Similiter loco; *Vos Fratres*; *& Te Pater* ibidem conversus ad illum. Ac tandem

III. Finitis: *DEUS tu conversus &c.* ante; *Oremus*: *Aufer a nobis &c.* in eodem loco convertit se iterum ad Prælatum, & profunde inclinatus accipit iterum ab illo Benedictionem, qua accepta dicit:

Oremus:

Oremus: Aufer a nobis &c. & aſcendit ad Altare, ac proſequitur Miſſam.

IV. Lecto Evangelio liber a Celebrante non oſculatur, ſed defertur à Prælato oſculandus.

V. In fine antequã populum benedicat, convertit ſe ad Prælatum, & profunda inclinatione facta, prius ſolus ab illo benedicitur, poſtea populum, ab illa parte ubi non eſt Prælatus, more ſolito benedicit. Ante abſceſſum ab Altari, fit profunda inclinatio Prælato ſicut in principio *Miſſalis Rubr.* Et hæc in Miſſa privata: pro ſolemni autem aliæ fuſiores videantur Rubricæ Miſſalis.

Ad M. D. G.

INDEX

INDEX

RERUM NOTABILIORUM

in hoc Opere contentarum.

A.

Atten-

C.

tum

Duel-

I.

Con-

tiarum

L.

sce-

Preti-

Satis-

Suspen-

ERRATA

CORRIGENDA.

Folio 1. linea 8. Qeſtio: lege Quæſtio.

Folio 9. linea 14. dicitur *Catholica*, ſed univerſalis: lege ſeu univerſalis.

Fol. 10. l. 14. ſolvantur: lege ſolvantur.

F. 15. l. 11. ſit: lege ſit.

F. 17. l. 14. Ex ſic: lege Et ſic de reliquis.

F. 37. l. 9. Huc accedunt dicta ſupra f. 2. & 3. vide f. 3.

F. 39. l. 9. Hinc conforniter dictis ſupra f. 1. vide f. 2.

F. 43. l. 10. Quotuplex eſt mæteria Acolithatus: lege materia.

F. 46. l. 22. Cum exploratum &c. quieri: lege quæri.

F. 56. 3. dato certo tempore &c. reſiduitatis: lege reſiduitatis.

F. 58. l. 25. Et hæc quamvis &c. f. 9. vide f. 18.

F. 65. l. 3. Chriſoſtomus: lege Chryſoſtomus.

F. 78. l. 6. Sacrificium quod modis poteſt conſiderari: lege quot modis &c.

F. 83. l. 23. 22. lege 2. 2.

F. 85. l. 6. conultatio: lege conſultatio.

F. 89. l. 2. toti: lege totius.

F. 88.

F. 88. l. 17. pecuia: lege pecunia.
F. 120. l. 15. impoſſibila: lege impoſſibilia.
F. 128. l. 1. inrediantur: lege ingrediantur.
F. 140. l. 25. Ferræ: lege Ferre.
F. 143. l. 19. Petrus &c. ne violenter &c. lege nî violenter &c.
F. 188. l. 15. quia reſtanti &c. lege dividendo res tanti non valet.
Ibid. l. 19. conſiſtens in indiviſibile: lege in indiviſibili.
F. 265. l. 12. exiſtentes: lege exiſtentibus.
F. 220. l. 14. hæc tres: lege hæ tres.
F. 225. l. 1. Quid eſt effectus &c. lege Quis &c.
F. 236. l. ultima uſque mediam diem: lege uſque ad mediam diem.
F. 241. l. 17. ut ſit parare parata, lege parere parata.
F. 245. l. 22. de qua ſupra f. 103. lege 198.
F. 253. l. 19. ſi que incidat &c. lege ſi quæ incidat. &c.
F. 254. l. 4. alias Denuntiati: lege Denuntiatio.
F. 257. l. 24. conditæ à Respublica: lege à Republica.
F. 261. l. 16. ut jam dictum ſupra f. 121. lege 221.
Ibidem l. ultima ad gradum puartum: lege quartum.

F. 264. l. 12. ſuperſtes conjunx: lege conjux.

F. 282. linea 23. poſit obtinere: lege poſſit obtinere.

F. 283. l. 12. Prædenda: lege Præbenda.

F. 285. l. ultima & boneſtam: lege honeſtam.

F. 288. l. 5. Eccleſiam: lege Eccleſiam.

Ibidem Eccleſiæ: lege Eccleſiæ.

F. 301. l. 5. c. g. lege e. g.